Quo autem omnia secundum vota ac prospere cedant, magnas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres : potissime patrocinium interponite augustae Dei Genitricis ; tum etiam implorate fidem sancti Stephani Apostoli vestri, ut e caelo Hungariam suam benignus respiciat, in eaque divinae beneficia religionis sancte inviolateque conservet. — Caelestium vero munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro universo, peramanter impertimus. *Orandum suadet Pontifex* *et benedicit.*

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

DE ROSARIO MARIALI.

8 SEPT. 1893.

Laetitiam Pontificis quinquagesimum Episcopatus annum complentis multum auxit Fidelium laetitia.

LAETITIAE sanctae, quam Nobis annus quinquagesimus ab episcopali consecratione feliciter plenus adduxit, pergrata nimirum ex eo fuit accessio, quod omnes, per universitatem catholicarum gentium, non secus ac filios pater, consortes habuerimus, fidei et amoris significatione pulcherrima. In quo nova semper cum gratia agnoscimus et praedicamus Dei providentis consilium, et summe in Nosmetipsos benevolum, et Ecclesiae suae haud leviter profuturum ; neque minus avet animus, eiusdem beneficii optimam apud Deum conciliatricem, Matrem eius augustam, salutare laudibus et efferre.

Gratum animum testatur Pontifex erga Deum et B. M. V.

Huius quippe eximia caritas, quam diuturno varioque aetatis spatio sensimus Ipsi multis modis praesentem, praesentior in dies ante oculos fulget, atque animum suavissime afficiens, fiduciâ non humana confirmat. Caelestis Reginae vox ipsa exaudiri videtur, Nos benigne tum erigentis in

Benignae Matris

asperrimis Ecclesiae temporibus, tum consilii copiâ ad instituta communis salutis proposita adiuvantis, tum etiam admonentis ut pietatem omnemque virtutis cultum in christiano populo excitemus. Talibus respondere optatis iam pluries antehac iucundum Nobis sanctumque fuit. In fructibus autem qui hortationes Nostras, ipsa auspice, sunt consecuti, dignum est quod commemoremus, perampla religioni sacratissimi eius *Rosarii* allata esse incrementa ; hanc in rem sodalitiis quoque piorum qua auctis qua constitutis, scriptis docte opportuneque in vulgus editis, ipsis elegantiorum artium nobilissimis ornamentis inductis. — Nunc vero perinde ac si eamdem studiosissimae Matris excipiamus vocem, qua urgeat, *Clama, ne cesses*, rursus de mariali Rosario vos alloqui libet, Venerabiles Fratres, appetente octobri ; quem mensem esse ei devotum, acceptissimo eiusdem Rosarii ritu, censuimus, tributis sacrae indulgentiae

studuit ipse saepius promovere cultum.

Libet jam orationem habere de utilitatibus Rosarii.

praemiis. Oratio tamen Nostra non eo proxime spectabit ut addamus, vel laudem precationi ex se praestantissimae, vel fidelibus stimulos ad eam sanctiore usu colendam ; verum de nonnullis dicemus lectissimis bonis, quae inde hauriri possunt, temporum et hominum rationi maxime opportunis. Sic enim Nobis persuasissimum est, religionem Rosarii, si tam rite colatur, ut vim insitam virtutemque proferat suam, utilitates, non singulis modo, sed omni etiam reipublicae esse maximas parituram.

Bonum civile Pontifex omni ope curavit.

Nemo est quem fugiat, quantum Nos, pro supremi Apostolatus munere, ad civile bonum conferre studuerimus, ac porro parati simus, sic Deus adsit, conferre. Nam, qui imperio potiantur, eos saepe monuimus, ne perferant leges per easque agant, nisi ad normam aequissimam divinae Mentis ; cives autem, qui ceteris, sive ingenio, sive partis meritis, sive nobilitate fortunisque antecellant, crebro adhortati sumus ut, consiliis collatis et viribus, res maximas potissimasque civitatis tueantur et provehant. — Sed vero nimis multa sunt, quibus, ut modo est civilis consociatio, publicae disciplinae vincula infirmentur, atque populi a iusta morum honestate persequenda abducantur. Iam Nobis tria praecipue videntur teterrima in communis boni perniciem : ea sunt, *modestae vitae et actuosae fastidium ; horror patiendi ; futurorum, quae speramus, oblivio.*

Tria huic bono perniciosissima.

1° Modestae vitae et actuosae fastidium. Ex negligentia virtutum quae genus vitae commune exornant, multa oriuntur mala in liberis, in opificibus, in ruricolis, inter civitatum ordines.

Querimur Nos, ipsique fatentur ultro ac dolent qui omnia revocant ad naturae lumen et utilitatem, vulnus humanae societati, idque vehemens, ex eo infligi, quod officia virtutesque negliguntur, quae genus vitae exornant tenue et commune. Hinc enimvero, in domestica consuetudine debitam naturâ obedientiam a liberis detrectari proterve, omnis impatientibus disciplinae, nisi si quae est voluptaria et mollis. Hinc opifices suis se artibus removere, defugere labores, nec sorte contentos, altiora suspicere, improvidam quamdam expetentes aequationem bonorum : similia multorum studia, ut, natali rure relicto, urbium rumores capiant effusasque illecebras. Hinc inter ordines civitatum aequilibritas nulla ; nutare omnia, animos simultatibus invidiaque torqueri, ius conculcari palam, eos denique, qui spe sint falsi, per seditio-

Remedium his malis affert Rosarium per gaudiorum mysteria.

nem et turbas publicam tentare pacem, iisque obsistere quorum est illam tutari. — Contra haec curatio petatur a Rosario mariali, quod simul certo precum ordine constat et pia mysteriorum Christi Servatoris et Matris commentatione. Nempe *gaudiorum mysteria* probe et ad vulgus enarrentur, ac, veluti picturae quaedam imaginesque virtutum, in oculis hominum constituantur : perspiciet quisque, quam ampla inde quamque facilis, ad vitam honeste componendam, offeratur documentorum copia, mira animos suavitate allicientium. — Obversatur Nazarethana domus, terrestre illud divinumque sanctimoniae domicilium. Quantum in ea quotidianae consuetudinis exemplar! quae societatis domesticae omnino perfecta species ! Simplicitas ibi morum et candor; animorum perpetua consensio; nulla ordinis perturbatio ; observantia mutua ; amor denique, non ille fucatus et mendax, sed qui officiorum assiduitate integre vigens, vel oculos intuentium rapiat. Illic datur quidem studium ea parando quae suppeditent ad victum et cultum ; id vero *in sudore vultus*, et ut ab eis, qui, parvo contenti, potius agant ut minus egeant, quam ut plus habeant. Super haec omnia, summa tranquillitas mentis, par animi laetitia ; quae duo recte factorum conscientiam nunquam non comitantur. — Quarum exemplá virtutum, modestiae nimirum ac demissionis, laborum tolerantiae et in alios benevolentiae, diligentiae tenuium officiorum quae sunt in quotidiana vita, cetera demum exempla, simul atque concipiantur sensim animis alteque insideant, sensim profecto in eis optata consiliorum morumque mutatio eveniet. Tum sua cuique munera, nequaquam despecta erunt et molesta, sed grata potius et delectabilia: atque, iucunditate quadam aspersa, enixius ad probe agendum conscientia officii valebit. Ex eo mores in omnes partes mitescent ; domestica convictio in amore et deliciis erit ; usus cum ceteris plus multo habebit sincerae observantiae et caritatis. Quae quidem, ex homine singulari, si late in familias, in civitates, in universum quempiam populum traducantur, ut ad haec instituta moderentur vitam ; quanta inde reipublicæ emolumenta sint obventura, apertum est.

Nazarethanae domus exemplum proponitur

singulis hominibus,

familiis,

et civitatibus utilissimum.

Alterum, sane funestissimum, in quo deplorando nimii nunquam simus, eo quia latius in dies deteriusque inficiat animos, illud est, recusare dolorem, adversa et dura acriter propulsare. Pars enim hominum maxima tranquillam animorum libertatem non iam sic habent, ut oportet, tamquam praemium iis propositum qui virtutis fungantur munere, ad pericula, ad labores invicti : sed commentitiam quamdam civitatis perfectionem cogitant, in qua, omni ingrata re submota, cumulata sit delectationum huius vitae complexio. Porro ex tam acri effrenataque beate vivendi libidine proclive est ut ingenia labefactentur ; quae, si non penitus excidunt, at enervantur tamen, ut vitae malis abiecte cedant miserabiliterque succumbant. — In hoc etiam discrimine, plurimum quidem opis ad spiritus roborandos (tanta exempli auctoritas est) ex mariali Rosario expectari licet ; si *dolentia*, quae vocantur, *mysteria*, vel a primis puerorum aetatulis, ac deinceps assidue, tacita suavique contemplatione versentur. Videmus per ea Christum, *auctorem et consummatorem Fidei* nostrae, *coepisse facere et docere ;* ut, quae genus nostrum de laborum dolorumque perpessione docuisset, eorum in ipso exempla peteremus, et ita quidem ut, quaecumque difficiliora perpessu sunt, ea sibi ipse toleranda magna voluntate susceperit. Moestitia videmus confectum, usque eo ut sanguine totis artubus, veluti sudore, manaret. Videmus vinculis, latronum more, constrictum ; iudicium pessimorum subeuntem ; diris contumeliis, falsis criminibus impetitum. Videmus flagellis caesum ; spinis coronatum ; suffixum cruci ; indignum habitum qui diu viveret, dignum qui succlamante turba periret. Ad haec, Parentis sanctissimae aegritudinem reputamus, cuius *animam doloris gladius*, non attigit modo, sed *pertransivit*, ut mater dolorum compellaretur et esset. — Virtutis tantae specimina qui crebra cogitatione, non modo oculis, contempletur, quantum ille profecto calebit animo ad imitandum ! Esto ei quidem *maledicta tellus et spinas germinet ac tribulos*, mens aerumnis prematur, morbis urgeatur corpus ; nullum erit, sive hominum invidiâ, sive irâ daemonum, invectum malum, nullus publicae privataeque calamitatis casus, quae non ille

8 SEPT. 1893.

2° Horror patiendi.

Multi non in virtute, sed in praesentis vitae delectationibus felicitatem ponunt.

Maxima inde oriuntur mala.

Rosarium per mysteria dolorum, patientiam nos docet, Christi doctrinam et exemplum

doloresque B. M. V. nobis proponens.

Quaslibet poenas

fortiter suffert christianus,

evincat tolerando. Hinc illud recte, *Facere et pati fortia christianum est;* christianus etenim, quicumque habeatur merito, Christum patientem non subsequi nequaquam potest. Patientiam autem dicimus, non inanem animi ostentationem ad dolorem obdurescentis, quae quorumdam fuit veterum philosophorum ; sed quae, exemplum ab illo transferens *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (1), ab ipsoque opportuna gratiae exposcens auxilia, perpeti aspera nihil renuat atque etiam gestiat, perpessionemque, quantacumque ea fuerit, in lucris ponat.

Christi exemplo et gratia adjutus,

ut multorum testatur exemplum.

Habuit catholicum nomen, ac sane habet, doctrinae huius discipulos praeclarissimos, complures ubique ex omni ordine viros et feminas, qui, per vestigia Christi Domini, iniurias acerbitatesque omnes pro virtute et religione subirent, illud Didymi, re magis quam dicto, usurpantes: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* (2). — Quae insignis constantiae facta etiam atque etiam multiplicentur splendide, unde praesidium civitati, Ecclesiae virtus augescat et gloria !

3° Futurorum quae speramus oblivio.

Tertium malorum caput, cui quaerenda est medicina, in hominibus maxime apparet aetatis nostrae. Homines enim superiorum temporum, si quidem terrestria, vel vitiosius, adamabant, fere tamen non penitus aspernabantur caelestia: ipsi ethnicorum prudentiores, hanc nobis vitam hospitium esse, non domum, commorandi diversorium, non habitandi, datum docuerunt. Qui nunc vero sunt homines, etsi christiana lege instituti, fluxa praesentis aevi bona plerique sic consectantur, ut potiorem patriam in aevi sempiterni beatitate, non memoria solum elabi, sed extinctam prorsus ac deletam per summum dedecus velint; frustra commonente Paulo : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (3). Cuius rei explorantibus caussas, illud in primis occurrit, quod multis persuasum sit, cogitatione futurorum caritatem dirimi patriae terrestris reique publicae prosperitatem convelli : quo nihil profecto odiosius, ineptius nihil. Etenim non ea sperandarum natura est rerum, quae mentes hominum sibi sic vindicent, ut eas a cura omnino avertant praesentium bonorum; quando et Christus regnum

Tali oblivione nostrae aetatis homines magis affecti sunt quam ipsi ethnici.

Hujus mali causa praecipua error est eorum qui putant per curam vitae futurae prosperitatem vitae praesentis impediri.

1. *Hebr.*, XII, 2. — 2. *Ioann.*, XI, 16. — 3. *Hebr.*, XIII, 14.

8 SEPT. 1893.

Dei edixit quaerendum, primum id quidem, at non ut cetera praeteriremus. Nam usura praesentium rerum, quaeque inde honestae habentur delectationes, si virtutibus vel augendis vel remunerandis adiumento sunt; item, si splendor et cultus terrenae civitatis, ex quo mortalium consociatio magnifice illustratur, splendorem et cultum imitatur civitatis caelestis; nihil est quod rationis participes dedeceat, nihil quod consiliis adversetur divinis. Auctor est enim naturae Deus idemque gratiae; non ut altera alteri officiat atque inter se digladientur, sed ut amico quodam foedere coeant, ut nempe, utraque duce, immortalem illam beatitatem, ad quam mortales nati sumus, faciliore veluti via, aliquando contingamus. — At vero homines voluptarii, sese unice amantes, qui cogitationes suas omnes in res caducas humiliter abiiciunt, ut se tollere altius nequeant, ii, potius quam a bonis quibus fruantur aspectabilibus aeterna appetant, ipsum plane amittunt aeternitatis aspectum, ad conditionem prolapsi indignissimam. Neque enim divinum Numen graviore ulla poena multare hominem possit, quam quum illum blandimenta voluptatum, bonorum sempiternorum immemorem, omni vita consectari permiserit. — A quo tamen periculo ille profecto aberit qui, pietate Rosarii usus, quae in illo proponuntur *a gloria mysteria*, attenta repetet frequentique memoria. Mysteria etenim ea sunt, in quibus clarissimum christianis mentibus praefertur lumen ad suspicienda bona, quae, etsi obtutum oculorum effugiunt, sed certa tenemus fide praeparasse Deum *diligentibus se*. Docemur inde, mortem, non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed migrationem commutationemque vitae. Docemur, omnibus in caelum cursum patere; quumque illo Christum cernimus remeantem, reminiscimur felix eius promissum: *Vado parare vobis locum*. Docemur, fore tempus, quum *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis nostris*, et *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra;* sed *semper cum Domino erimus, similes* Dei, *quoniam videbimus eum sicuti est; poti torrente voluptatis eius, Sanctorum cives*, in magnae Reginae et Matris beatissima communione. — Haec autem consi-

Res praesentes si honeste eis utamur, cum futuris miro ordine componuntur.

Effrenatus vero amor rerum terrenarum, oblivionem parit bonorum coelestium.

Talem oblivionem avertit Rosarium, dum mentem nostram per mysteria gloriae attollit ad coelum.

derantem animum inflammari necesse est, atque tum illud iterare Viri sanctissimi: *Quam sordet tellus, dum caelum aspicio!* tum eo uti solatio, quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Enimvero una haec est ratio praesentis temporis cum aeterno, terrestris civitatis cum caelesti apte iungendae; hac una educuntur fortes animi et excelsi. Qui quidem, si magno numero censeantur, dignitas et amplitudo stabit civitatis; florebunt quae vera, quae bona, quae pulchra sunt, ad normam illam expressa quae omnis veritatis, bonitatis, pulcritudinis summum est principium et fons perennis.

Terra sordet, poena dulcescit, dum caelum aspicimus. Florebit civitas, si coelo intenti sint homines.

Iam videant omnes, quod principio posuimus, quarum sit utilitatum fecunda marialis Rosarii virtus, et quam mirifice possit ad temporum sananda mala, ad gravissima civitatis damna prohibenda. — Istam vero virtutem, ut facile cognitu est, illi praecipue uberiusque percepturi erunt qui cooptati in sacra Rosarii Sodalitia, peculiari et inter se fraterna coniunctione et erga sanctissimam Virginem obsequio prae ceteris commendantur. Haec enim Sodalitia, auctoritate romanorum Pontificum comprobata, ab eisque donata privilegiis et muneribus indulgentiae, suo palam ordine ac magisterio reguntur, conventus statis habent temporibus, praesidiis optimis instruuntur quibus sancte vigeant et ad commoda etiam societatis humanae conducant. Haec sunt veluti agmina et acies, praelia Christi per sacratissima eius mysteria pugnantes, auspice et duce Regina caelesti: quorum illa supplicationibus, ritibus, pompis quam adsit propitia, praeclare omni tempore patuit, magnifice ad Echinadas. — Magno studio igitur in talibus Sodalitiis condendis, amplificandis, moderandis par est contendere et eniti, non unos inquimus alumnos Dominici Patris, quamquam illi ex disciplina sua debent summopere, sed quotquot praeterea sunt animarum curatores, in sacris praesertim aedibus ubi illa iam habentur legitime instituta. Atque etiam Nobis maxime in votis est, ut qui sacras expeditiones ad Christi doctrinam, vel inter barbaras gentes invehendam vel apud excultas confirmandam obeunt, hac item in re elaborent. — Ipsis omnibus hortatoribus, minime

Commendantur Rosarii sodalitia, in quibus fructus ex laudata prece percipiuntur uberiores.

dubitamus, quin multi e Christifidelibus animo alacres futuri sint, qui tum eidem Sodalitati dent nomen, tum eximie studeant bona intima, quae exposuimus, assequi, illa nimirum quibus ratio et quodammodo res Rosarii continetur. Ab exemplo autem Sodalium maior quaedam reverentia et pietas erga ipsum Rosarii cultum ad ceteros manabit fideles: qui ita excitati, ampliores impendent curas ut, quod Nobis desideratissimum est, eorumdem salutarium bonorum copiam abunde participent.

8 SEPT. 1893.

Sodalium exemplo invalescet apud ceteros Fideles Rosarii cultus.

Haec Nobis igitur praelucet spes, hac ducimur atque in tantis reipublicae damnis valde recreamur: quae ut plena succedat, ipsa exorata efficiat Rosarii inventrix et magistra, Dei et hominum Mater, MARIA. Fore autem vestrâ omnium opera, Venerabiles Fratres, confidimus, ut documenta et vota Nostra ad familiarum prosperitatem, ad pacem populorum et omne bonum eveniant. — Interea divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, vobis singulis et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Sperat Pontifex praesentes litteras saluberrimas fore familiis et populis.

Benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

ad L. Schüller de Religiosa puerorum institutione optime meritum.

13 OCT. 1893.

Probat Pontifex eumdem in variis dioecesibus usurpari librum ad religiosam puerorum institutionem.

EXEMPLARIA voluminis ad explicandam doctrinam fidei a te decies editi, eiusque epitomae, quae obsequiosis ornata litteris Nobis obtulisti, volenti animo complexi sumus. Gaudemus equidem ea ultro usurpari in pluribus Italiae dioecesibus, eorumque usum in dies magis vulgari. Id mirifice Nostris respondet optatis, quippe non levem opportunitatem habet. Quum enim saepe variis de caussis fideles in alias dioeceses migrare cum liberis cogantur, non satis apte religiosae puerorum institutioni prospicitur, si alii in aliis dioecesibus adhibeantur libri, ad quorum normam sacrae doctrinae tradendae ratio exigatur; erit autem longe commodissimum si dioeceses omnes exemplum sequantur Urbis, quae et libros probavit tuos et discentibus aptos experta agnovit. — Tuam itaque industriam merita prosequentes laude, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Octobris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

ad Episcopos Hispaniae

DE COLLEGIO CLERICORUM

HISPANORUM IN URBE.

NON mediocri cura vigilantiaque, ut nostis, vixdum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, tueri apud vos atque augere rem catholicam studuimus, in primisque firmare animorum concordiam, et fructuosam Cleri industriam excitare. Nunc vero, eodem quo hactenus studio permoti, adiecimus animum ad Clericos vestros adolescentes, ut collatis vobiscum consiliis, in eorum institutionem conferamus aliquid operae. — Idque novum velut pignus esse volumus benevolentiae paternae, qua vos universos complecti consuevimus. Et merito quidem : non enim sumus rerum hispanicarum immemores, neque ignoramus vestram in avita fide, in obsequio Apostolicae Sedis summam immotamque constantiam : quae potissimum caussa fuit, quamobrem hispanicum nomen in tantam gloriae imperiique magnitudinem creverit, quantam historiae monumenta testantur. Illud etiam memoria tenemus, nec silebimus hoc loco, multa Nobis atque optabilia acerbitatum solatia ex Hispania saepe suppetere. Pergratum igitur est, officiorum vestrorum caritati respondere mutuo.

25 OCT. 1893.

Memorat Pontifex varia suae sollicitudinis argumenta erga Hispanicam gentem, optime, historia teste, de Ecclesia meritam.

Diu multumque floruit Clerus hispanus rerum divinarum scientia litterarumque elegantia ; hisque artibus assecutus est ut rem christianam nomenque patrium non parum et ipse proveheret. Haud sane defuere munifici viri, qui, optimarum artium patrocinio suscepto, congrua temporibus subsidia praeberent ; nec defuere ingenia ad theologicas, ad philosophicas disciplinas, nedum ad litteras excolendas apte comparata. Ad haec amplificanda studia doctrinae novimus quantum contulerit Regum catholicorum liberalitas, quantum opera atque instantia Episcoporum. His porro incitamenta omne genus adiecit Apostolica Sedes, quae id

Scientia diu floruit clerus hispanus,

Regum Catholicorum, Episcoporum, summorum Pon-

tificum patrocinio usus, doctrinaque excultus virorum ingenio praestantium,

perpetuo studuit, ut sanctitati morum christianorum nec philosophiae lumen, nec politioris humanitatis deesset nitor. Quo in genere insigne vobis quasi patrimonium gloriae transmisere viri cum paucis comparandi, *Franciscus Suarez*, *Ioannes Lugo*, *Franciscus Toletus*, nominatim vero *Franciscus Ximenes*, qui ductu auspiciisque Pontificum romanorum potuit ad illam doctrinae praestantiam contendere, qua non modo Hispaniam, sed universam illustravit Europam, praesertim constitutis studiis illis Complutensibus, quibus edocti iuvenes *in Dei Ecclesia sapientiae splendore, tamquam stellae matutinae coruscantes, in veritatis via ceteros illuminare possent* (1). Ex ea segete tam scite naviterque exculta, cohors illa extitit doctorum illustrium, qui a romano Pontifice atque a Rege Catholico ad Synodum Tridentinam invitati, utriusque expectationem egregie implevere.

et aptissimis adjutus studiorum praesidiis.

Neque vero mirum est, tot Hispaniam tantosque tulisse viros ; siquidem praeter naturalem ingeniorum vim, praesidia atque instrumenta praesto erant aptissima, quorum ope studiorum ratio perficeretur. Satis est magna Lycea recordari Complutense et Salmanticense, quae sane, advigilante Ecclesia, praeclara christianae sapientiae domicilia extitere. Quorum recordatio sponte coniungitur cum memoria Collegiorum, quae ecclesiasticis viris ingenio sciendique cupiditate praestantibus communem sedem commodum praebuere.

Haec posteriorum temporum clade ablata fuerunt,

At vero habetis ante oculos, Venerabiles Fratres, posteriorum temporum cladem. In iis rerum publicarum fluctibus, qui superiore atque hoc ipso volvente saeculo, totam perturbarunt Europam, quasi procelloso impetu deiecta ac stirpitus divulsa sunt Instituta, quibus ad fidei doctrinaeque incrementa condendis, regia simul et ecclesiastica potestas curas opesque contulerant. Sublatis ita catholicis studiorum Universitatibus earumque Collegiis, ipsamet Seminaria clericorum exaruere, sensim ea deficiente doctrinae copia, quae ex magnis Gymnasiis effluebat : praeterea nec tenere antiquum potuere statum per bella intestina et turbas, quae aliquandiu civium studia viresque distraxerunt. Adfuit in

nec potue-

1. Alexander VI, Bulla *Inter cetera*, Idibus Aprilis 1499.

tempore Apostolica Sedes, animumque studiose adiecit, civili potestate consentiente, ad res ecclesiasticas componendas, quas praegressa tempestas afflixerat; potissima vero eius cura fuit de Seminariis dioecesanis, quae quidem quasi domicilia pietatis atque eruditionis in statum pristinum restitui, privatim ac publice intererat. Vobis tamen exploratum est, rem non omnino cessisse ex sententia. Neque enim sat amplae suppetebant opes: neque ratio studiorum poterat in spem gloriae reflorescere, quia Lyceorum veterum interitus penuriam idoneorum magistrorum genuerat. — Convenit quidem inter duas supremas potestates, ut quibusdam in provinciis Seminaria conderentur *generalia*, potestate facta ut ex eorum alumnis, qui plenius theologica arripuissent, ii ad gradus academicos more maiorum admitterentur. Id tamen quominus reapse perficeretur, multa impedimento fuere, hodieque sunt. — Erepto igitur Lyceorum veterum praesidio, multa desiderantur ex adiumentis iis, sine quibus ad expletam cumulatamque eruditionis laudem aspirare Clerus difficile potest, ita ut una sit prudentium vox et sententia, accedere ad rationem studiorum in Seminariis perfectius quiddam et cumulatius oportere. — Atqui id maxime Nobis curae est, praesertim exempla decessorum Nostrorum intuentibus, qui nullum praetermisere locum favendi studiis optimis. In eo autem vel maxime eluxit Pontificum excellens providentia, quod in hanc ipsam Urbem, principem catholici nominis, adolescentes clericos peregre arcessere atque in Collegia congregare studuerint, idque maiore cura quoties aut adiumenta studiorum ipsis in patria deessent, aut sanitas institutionis, publice repudiata Ecclesiae vigilantia, periclitaretur. Hac de caussa complura Romae condita Ephebea, quo confluere solent ad sacra instituendi adolescentes exteri, eo videlicet proposito ut quas in Urbe collegerint ingenii animique opes, eas aliquando, sacerdotio initiati, in communem conferant popularium suorum utilitatem. Qua ex re cum abunde salutares fructus extiterint, existant, omnino Nosmetipsos operae pretium iudicavimus facturos, si eiusmodi domiciliorum numerum augeremus: proptereaque suum Armeniis

25 OCT. 1893.

runt omnino restituti:

indeque manca ratio studiorum mansit.

Complura olim collegia clericorum exterorum in Urbe fundata fuere a Romanis Pontificibus.

Nonnulla ipse Pontifex erexit.

Collegium, suum Bohemis in Urbe aperuimus : Maroniticum vero ut ad pristinam dignitatem revocaretur, curavimus.

Quaedam statuuntur collegio Hispanorum profutura ;

In hac peregrinorum adolescentium frequentia id aegre ferebamus, quod alumni non ita multi numerarentur e civibus vestris. Quamobrem speratae utilitatis cogitatione, consilium cepimus efficere, ut urbanum clericorum hispaniensium collegium, quod non ita pridem piorum sacerdotum sapiens industria fundavit, non modo stabile permanere, sed ad incrementa properare queat. Placet igitur ut, quotquot ex Peninsula Iberica proximisve insulis in ditione sitis Regis catholici, in illud convenerint, sint in tutela Nostra : communique utentes convictu, lectorum moderatorum disciplina, eis studiis operentur, quae exquisitius animum ingeniumque perficiunt. Opportunam operi sedem domumque praebituras arbitramur aedes urbanas, a Ducibus *Altemps*, prioribus dominis, nuncupatas, proprio nunc iure Nostras et Apostolicae Sedis : eo vel magis quod illae a sacrario *Aniceti* Pontificis Martyris, cuius ibidem sacri ceneres quiescunt, itemque a memoria commorationis *Caroli Borromei* nobilitantur. Earum igitur aedium usum atque usumfructum concedimus et attribuimus Collegio Episcoporum Hispaniae, hac lege ut iis utantur ad accipiendos tuendosque suarum Dioeceseon clericos, si quos studiorum caussa, uti diximus, huc mittendos decreverint. Quo vero cogitata citius efficiantur, pariterque tempus instruendis aedibus ceterisque rebus apparandis necessarium suppetat, coeant interea clerici in certam idoneamque partem aedium illustris familiae *Altieriae*. — Archiepiscopos autem Toletanum et Hispalensem designamus, qui Nobiscum et cum successoribus Nostris de negotiis Collegii gravioribus agant; ob eamque caussam praecipimus, ut is qui Collegio praeest, de re familiari, de disciplina moribusque alumnorum quotannis cum ad sacrum Consilium Nostrum studiis regundis, tum ad Archiepiscopos supra dictos scripto referat, iique ad Collegas suos, Hispaniae Episcopos, referendum curabunt. — Modo vestrum est, Venerabiles Fratres, Nostra haec incepta adiuvare, exequi : idque alacritate et industria tanta,

nova sedes illi conceditur ;

eique regendo providetur.

Pontificis incepta adjuvent Episcopi.

quantam et res flagitat, et episcopales virtutes vestrae pollicentur. — Interea Apostolicam benedictionem, praecipuae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, itemque Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus. 25 OCT. 1893.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Octobris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

DE STUDIIS SCRIPTURAE SACRAE.

18 NOV. 1893.

PROVIDENTISSIMUS Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de caussa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem* (1). Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem*, continetur tum *in sine scripto traditionibus*, tum etiam *in libris scriptis*, qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* (2). Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur (3), eamdemque esse oracula et eloquia divina (4), litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas (5). Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis in-

Ad finem supernaturalem Deus hominem evexit,

facta ei supernaturali revelatione, quae gemino fonte continetur.

Sacrorum librorum proponitur notio, ex doctrina Ecclesiae et Patrum.

Eximia S. Theologiae pars est quae circa Scripturas versatur.

1. Conc. Vat. sess. III. cap. II, *de revel.* — 2. *Ibid.* — 3. S. Aug., *De civ. Dei*, XI, 3. — 4. S. Clem. Rom. I ad Cor. 45; S. Polycarp. ad Phil. 7; S. Iren., *c. haer.*, II, 28, 2. — 5. S. Chrys., *In Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *in Ps.* XXX serm. 2, 1; S. Greg. M. ad. Theod. ep. IV, 31.

terpretandisque versatur,excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare,atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter ; utque illi potissime,quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit,maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis,quod aequissimum est, impendant.

Sacrarum Litterarum studium commendare et dirigere iamdiu cogitat Pontifex

ut tutius ipsae et uberius Fidelibus pateant, et intactae serventur impietatis malitia et audacia novitatis.

Laudata nonnullorum in Scripturis vindicandis et scrutandis diligentia,

exoptat Pontifex ut plures hisce vacent studiis, praesertim ex sacerdotibus.

Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum,praecipua caussa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruddiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1). Tali sane consilio Scripturas a Deo

Pars I: de S. Scripturae utilitate.

S. Scripturae studium, praeter ipsius praestantiam et obsequium Dei verbo debitum, commendant exi-

1. *II Tim.*, III, 16-17.

mii fructus ex ipsa, teste Spiritu Sancto, percipiendi.

esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem (1) », ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit : nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat ; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam ; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet ; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* (2), magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Iohannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis ; luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter : *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* (3) ». — Per exemplas igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea,

Hanc Scripturae utilitatem ostendunt exempla Christi ad ipsam appellare soliti,

et Apostolorum, Fidem non signis tantum, sed et divinis Libris stabilientium.

Hunc fontem adeant tirones militiae sacrae,

de Deo,

de Redemptore,

1. S. Aug., *De util. cred.*, XIV, 32. — 2. *Act.* XIV, 3. — 3. S. Hier., *De studio Script.* ad Paulin. *ep.* LIII, 3.

quae in universo habentur Bibliorum contextu : recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi (1) » : ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio,natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit : « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae (2). » Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici : plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia ; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

18 NOV. 1893.

de Ecclesia,

de morum disciplina erudiendi.

Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (3). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei (4), eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti,et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (5). Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquen-

Scriptura majorem vim addit oratori sacro quam humanae scientiae verba.

Reprehenduntur ii qui humanis potius quam divinis argumentis in concionibus utuntur.

Sacris Litteris ignis inest divinus,

nec eloquentia deest.

1. *In Is., Prol.* — 2. *In Is.* LIV, 12. — 3. *I Thess.*, I, 5. — 4. *Ierem.*, XXIII, 29. — 5. *Hebr.*, IV, 12.

tiam : id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (1), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

Divinae Litterae earumque fructus a SS. Patribus collaudantur.

Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium (2), vel perennes fontes salutis (3), vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur (4). Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum : « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ; disce quod doceas... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit (5) » ; convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera : « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant (6). » — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor (7) », eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant (8) ». Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere*, vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis ; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (9). Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata ; iis tamen, qui ad divina eloquia, non

SS. Augustinus et Gregorius concionatores monent semetipsos ne negligant dum alios verbum divinum docent.

Christus et fecit et docuit.

Apostolus Timotheum monet ut se suosque auditores salvos faciat.

Suam aliorumque

1. *De doctr. chr.*, IV, 6, 7. — 2. S. Chrys., *in Gen., hom. 21, 2; hom. 60, 3;* S. Aug., *De discipl. chr.*, 2. — — 3 S. Athan., *ep. fest. 39.* — 4. S. Aug., *serm. 26, 24 ;* S. Ambr., *in Ps.* CXVIII, *serm. 19, 2.* — 5. S. Hier., *De vit. cleric.*, ad Nepot. — 6. S. Greg. M., *Regul. past. II, 11 (al. 22) ; Moral.* XVIII, *26 (al. 14).* — 7. S. Aug., *serm. 179, 1.* — 8. S. Greg., M., *Regul. past. III, 24 (al. 48).* — 9. *I Tim.*, IV, 16.

solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est ; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu (1) », hoc est lumine et gratia eius : quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

18 NOV. 1893.

salutem ex Scriptura is hauriet qui mente humilis, voluntate pius est.

Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret* (2), optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam ; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit (3). Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus

Providit semper Ecclesia ut in filios suos saluberrimi effluerent S. Scripturae fontes.

Inde ab initio Ecclesiae, multi S. Scripturam colue runt : Apostolorum discipuli ; Apologetae ;

scholae ca-

1. S. Hier., *in Mich. 1, 10.* — 2. Conc. Trid., *sess.* V, *decret. de reform. 1.* — 3. *Ibid., 1-2.*

techeticae et theologicae, unde plerique prodierunt Patres, et scriptores optime de re biblica meriti, apud Orientales

Episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt : ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum ; Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum ; Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum ; clarissima Augustini et Hieronymi : quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis ; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt.— Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt : in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — Sed nova et laetiora

et apud Occidentales.

Postea pervulgantur veterum scriptorum opera, apte digesta ;

sacri codices glossis illustrantur, eorumque integritas curatur.

Saeculo XII floret S. Scripturae allegorica enarratio.

incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum.* Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti ; cuiusque pondus in re theologica perpensum ; definitae librorum partes, argumenta partium ; investigata scriptorum proposita ; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio : quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria ; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in Nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint : adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit : qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae ; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clemen-

18 NOV. 1893.

Scholasticorum disciplina nova addit studiis biblicis incrementa.

Doctrina Scripturae excelluerunt Scholastici praecipue S. Thomas, Studium litterarum orientalium,

Graecorum ad nos revecta eruditio, et ars libraria inventa ad rem biblicam mire profuerunt.

A Viennensi Concilio ad Trid., multi Scripturae studiis excelluere.

Post Tridentinum, rediisse visa est aurea Patrum aetas.

Vosque nominatim compellare hoc loco liceat, Slavorum gentes universae, quarum claritudinem nominis multa rerum gestarum monumenta testantur. Nostis quam egregie de Slavis meruerint sancti in fide patres Cyrillus et Methodius, quorum memoriam Nosmetipsi honore debito augendam aliquot ante annis curavimus. Eorum virtute et laboribus parta plerisque e genere vestro populis humanitas et salus. Quo factum ut Slavoniam inter et romanos Pontifices pulcherrima vicissitudo hinc beneficiorum, illinc fidelissimae pietatis diu extiterit. Quod si maiores vestros misera temporum calamitas magnam partem a professione romana alienavit, considerate quanti sit redire ad unitatem. Vos quoque Ecclesia pergit ad suum revocare complexum, salutis, prosperitatis, magnitudinis praesidium multiplex praebitura.

Slavi nominatim compellantur, a SS. Cyrillo et Methodio ad catholicam Fidem olim aggregati, postea vero a professione romana delapsi.

Caritate non minore ad populos respicimus, quos, recentiore memoria, insolita quaedam rerum temporumque conversio ab Ecclesia romana seiunxit. Variis exactorum temporum casibus oblivione dimissis, cogitationem supra humana omnia erigant, animoque veritatis et salutis unice cupido, reputent apud se constitutam a Christo Ecclesiam. Quacum si velint congregationes conferre suas, et quo loco in illis religio sit aestimare, facile dabunt, se quidem multis maximisque in rebus, primordiorum oblitos, ad nova errore vario defluxisse; neque diffitebuntur, ex eo velut patrimonio veritatis, quod novarum rerum auctores secum in seces-

Populi ab Ecclesia recentiori tempore sejuncti, eo jam devenere erroris ut nulla supersit certa fidei formula,

2. Τοὺς ἐσκορπισμένους ἐπισυνάγαγε, τοὺς πεπλανημένους ἐπανάγαγε, καὶ σύναψον τῇ ἁγίᾳ σου καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ (Ib.).

sione avexerant, nullam fere formulam fidei certam atque auctoritate praeditam apud ipsos superesse. Immo vero illuc iam deventum, ut multi non vereantur fundamentum ipsum convellere, in quo religio tota et spes omnis mortalium unice nititur, quod est divina IESU CHRISTI Servatoris natura. Pariter, quos antea novi veterisque Testamenti libros affirmabant divino afflatu conscriptos, eis nunc talem abnegant auctoritatem : quod sane, data cuilibet potestate interpretandi sensu iudicioque suo, omnino consequi erat necesse. — Hinc sua cuiusque conscientia, sola dux et norma vitae, qualibet alia reiecta agendi regula : hinc pugnantes inter se opiniones et sectae multiplices, eaedemque persaepe in *naturalismi* aut *rationalismi* placita abeuntes. Quocirca, desperato sententiarum consensu, iam coniunctionem praedicant et commendant fraternae caritatis. Atque id sane vere : quandoquidem caritate mutua coniuncti esse universi debemus. Id enim maxime IESUS CHRISTUS praecepit, atque hanc voluit esse sectatorum suorum notam, diligere inter se. Verum quî potest copulare animos perfecta caritas, si concordes mentes non effecerit fides? — His de caussis complures eorum de quibus loquimur, sano iudicio, veritatisque studiosi, certam salutis viam in Ecclesia catholica quaesivere, cum plane intelligerent nequaquam se posse cum IESU CHRISTO tamquam capite esse coniunctos, cuius non adhaerescerent corpori, quod est Ecclesia : nec sinceram Christi fidem adipisci, cuius magisterium legitimum, Petro et successoribus traditum, repudiarent. Ii videlicet in Ecclesia romana expressam verae Ecclesiae speciem atque imaginem dispexere, inditis ab auctore Deo notis plane conspicuam : ideoque in ipsis numerantur multi, acri iudicio subtilique ad antiquitatem excutiendam ingenio, qui Ecclesiae romanae ab Apostolis continuationem, dogmatum integritatem, disciplinae constantiam scriptis egregiis illustrarint. Igitur horum virorum proposito exemplo, compellat vos plus animus quam oratio, fratres nostri, qui tria iam saecula nobiscum de fide christiana dissidetis, itemque vos, quotcumque deinceps quavis de caussa seorsum a nobis abiistis. *Occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis*

impugneturque a multis ipsa Christi divinitas, et auctoritas S. Scripturae.

In tanta sua sententiarum discordia sectae praedicant, at frustra, caritatis conjunctionem, quae quidem inter eos tantum consistere potest quos fides fecerit mente concordes.

Complures inter dissidentes, ex illa sectarum diversitate intellexere Ecclesiam romanam solam verae Ecclesiae speciem prae se ferre, illamque ideo multi ex ipsis propugnaverunt scriptis egregiis.

Horum exemplum ut imitentur coeteri orat enixe Pontifex.

filii Dei (1). Ad hanc unitatem, quae nullo tempore Ecclesiae catholicae defuit, nec potest ulla ratione deesse, sinite ut vos invitemus, dextramque peramanter porrigamus. Vos Ecclesia, communis parens, iamdiu revocat ad se, vos catholici universi fraterno desiderio expectant, ut sancte nobiscum colatis Deum, unius Evangelii, unius fidei, unius spei professione in caritate perfecta coniuncti. 20 IUNII 1894.

Catholici caveant, jam unitatis compotes, ne tantum Dei beneficium corrumpant;

Ad plenum optatissimae unitatis concentum, reliquum est ut ad eos, quotquot toto orbe sunt, transgrediatur oratio, quorum in salute diu evigilant curae cogitationesque Nostrae: catholicos intelligimus, quos romanae professio fidei uti obedientes facit Apostolicae Sedi, ita tenet cum IESU CHRISTO coniunctos. Non ii quidem ad veram sanctamque unitatem cohortandi, quippe cuius iam sunt, divina bonitate, compotes: monendi tamen ne, ingravantibus undique periculis, summum Dei beneficium socordia atque ignavia corrumpant. — Huius rei gratiâ, quae Nosmetipsi gentibus catholicis vel universis vel singulis alias documenta dedimus, ex iis cogitandi agendique normam opportune sumant: illudque imprimis velut summam sibi legem statuant, magisterio auctoritatique Ecclesiae non anguste, non diffidenter, sed toto animo et perlibente voluntate omnibus in rebus esse parendum. — Qua in re animum advertant, illud quam valde sit unitati christianae perniciosum, quod germanam formam notionemque Ecclesiae varius opinionum error passim obscuravit, delevit. Ea quippe, Dei conditoris voluntate ac iussu, societas est genere suo perfecta; cuius officium ac munus est imbuere praeceptis institutisque evangelicis genus humanum, tuendâque integritate morum et christianarum exercitatione virtutum, ad eam, quae unicuique hominum proposita in caelis est, felicitatem adducere. Quoniamque societas est, uti diximus, perfecta, idcirco vim habet virtutemque vitae, non extrinsecus haustam, sed consilio divino et suapte naturâ insitam: eademque de caussa nativam habet legum ferendarum potestatem, in iisque ferendis rectum est eam subesse nemini: itemque aliis in rebus, quae sint iuris sui oportet esse liberam. Quae

monitis S. Sedis atque Ecclesiae magisterio obsequantur libenter; rectam teneant Ecclesiae notionem quae societas perfecta est, finem habens salutem animarum, mediisque divinitus instructa ad hunc finem attingendum necessariis.

Libera igitur sit Ecclesia in omnibus quae sunt sui juris, oportet; qua qui-

1. *Ephes.*, IV, 13.

dem libertate nonnisi in salutem utitur animarum.

tamen libertas non est eiusmodi, ut ullum det aemulationi invidiaeque locum : non enim potentiam consectatur Ecclesia, neque ulla cupiditate sua impellitur, sed hoc vult, hoc expetit unice, tueri in hominibus officia virtutum, et hac ratione, hac via, sempiternae eorum saluti consulere. Ideoque facilitatem indulgentiamque maternam adhibere solet : imo etiam non raro contingit, ut plura temporibus civitatum tribuens, uti iure suo abstineat : quod sane pacta ipsa abunde testantur cum imperiis saepe conventa. — Nihil magis ab ea alienum, quam rapere ad se quicquam de iure imperii : sed vicissim vereatur imperium necesse est iura Ecclesiae, caveatque ne ullam ex iis partem ad se traducat. — Nunc vero, si res et facta spectentur, cuiusmodi est temporum cursus ? Ecclesiam videlicet suspectam habere, fastidire, odisse, invidiose criminari nimis multi consuevere : quodque multo gravius, id agunt omni ope et contentione, ut ditioni gubernatorum civitatis faciant servientem. Hinc sua ipsi et erepta bona, et deducta in angustum libertas : hinc alumnorum sacri ordinis circumiecta difficultatibus institutio : perlatae in clerum singulari severitate leges : dissolutae, prohibitae, optima christiani nominis praesidia, religiosorum sodalitates : brevi, *regalistarum* praecepta atque acta acerbius renovata. Hoc quidem est vim afferre sanctissimis Ecclesiae iuribus : quod maxima gignit civitatibus mala, propterea quod cum divinis consiliis aperte pugnat. Princeps enim atque opifex mundi Deus, qui hominum congregationi et civilem et sacram potestatem providentissime praeposuit, distinctas quidem permanere eas voluit, at vero seiunctas esse et confligere vetuit. Quin immo cum Dei ipsius voluntas, tum commune societatis humanae bonum omnino postulat, ut potestas civilis in regendo gubernandoque cum ecclesiastica conveniat. Hinc sua et propria sunt imperio iura atque officia, sua item Ecclesiae : sed alterum cum altera concordiae vinclo colligatum esse necesse est. — Ita sane futurum, ut Ecclesiae imperiique necessitudines mutuae ab illa sese expediant perturbatione, quae nunc est, non uno nomine improvida, bonisque omnibus permolesta : pariterque impetrabitur, ut non permixtis,

De jure suo saepius ipsa cedit, nedum ad se quicquam rapiat de jure imperii : vicissim vereatur oportet imperium jura Ecclesiae.

Haec vero omnimode opprimitur nostra aetate,

magno cum civitatum detrimento.

Vult Deus distinctas permanere civilem et sacram potestatem, vetat esse sejunctas, ipsumque societatis humanae bonum postulat utriusque potestatis concordiam.

20 IUNII 1894.

neque dissociatis utriusque rationibus, reddant cives *quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo.*

Magnum unitati discrimen impendet a secta massonica, quae audacter jam per totum orbem grassatur,

Simili modo magnum unitati discrimen ab ea hominum secta impendet, quae *Massonica* nominatur, cuius funesta vis nationes praesertim catholicas iamdiu premit. Turbulentorum temporum nacta favorem, viribusque et opibus et successu insolescens, dominatum suum firmius constabilire, latiusque propagare summa ope contendit. Iamque ex latebra et insidiis in lucem erupit civitatum, atque in hac Urbe ipsa, catholici nominis principe, quasi Dei numen lacessitura consedit. Quod vero calamitosissimum est, ubicumque vestigium posuit, ibi in omnes sese ordines in omniaque instituta reipublicae infert, si tandem summam arbitriumque obtineat. Calamitosissimum id quidem: eius enim manifesta est quum opinionum pravitas tum consiliorum nequitia. Per speciem vindicandi iuris humani civilisque societatis instaurandae, christianum nomen hostiliter petit: traditam a Deo doctrinam repudiat: officia pietatis, divina sacramenta, tales res augustiores, tamquam superstitiosa vituperat: de matrimonio, de familia, de adolescentium institutione, de privata omni et publica disciplina, christianam formam detrahere nititur, omnemque humanae et divinae potestatis reverentiam ex animo evellere populorum. Praecipit vero colendam homini esse naturam, atque huius unius principiis aestimari ac dirigi veritatem, honestatem, iustitiam oportere. Quo pacto, uti perspicuum est, compellitur homo ad mores fere vitaeque consuetudinem ethnicorum, eamque multiplicatis illecebris vitiosiorem. — Hac de re, quamquam alias a Nobis gravissimeque est dictum, Apostolica tamen vigilantia adducimur in idem ut insistamus, etiam atque etiam monentes, in tam praesenti periculo nullas esse cautiones tantas, quin suscipiendae sint maiores. Clemens prohibeat Deus nefaria consilia: sentiat tamen atque intelligat populus christianus, indignissimum sectae iugum excutiendum aliquando esse: excutiantque enixius, qui durius premuntur, Itali et Galli. Quibus armis, qua ratione id rectius possint, iam Nos ipsi demons-

nomen Christianum omni modo impugnans,

humanae simul et divinae adversans potestati, soliusque naturae cultui addicta.

Cavendum omnino ab impia secta.

Nefaria ipsius consilia Deus prohibeat, jugumque indignissimum ex-

cutiat christianus populus.

travimus : neque victoria incerta eo fidentibus duce, cuius perstat divina vox : *Ego vici mundum* (1).

II PARS : De bonis, ex Fidei unitate orituris.

Utroque depulso periculo, restitutisque ad fidei unitatem imperiis et civitatibus, mirum quam efficax medicina malorum et quanta bonorum copia manaret. Praecipua libet attingere.

Ecclesiae tunc debitus redderetur honor, ministeriique libertas, qua multum posset ad salutem conferre civitatum.

Pertinet primum ad dignitatem ac munera Ecclesiae : quae quidem receptura esset honoris gradum debitum, atque iter suum et invidia vacuum et libertate munitum pergeret, administra evangelicae veritatis et gratiae ; idque singulari cum salute civitatum. Ea enim cum magistra sit et dux hominum generi a Deo data, conferre operam potest praecipue accommodatam maximis temporum conversionibus in commune bonum temperandis, caussis vel impeditissimis opportune dirimendis, recto iustoque, quae firmissima sunt fundamenta reipublicae, provehendo.

Gentium fieret conjunctio, nostro tempore maxime desideranda, cum tot ex apparatu bellico mala proveniant.

Praeclara deinde coniunctionis inter nationes accessio fieret, desideranda maxime hoc tempore, ad taetra bellorum discrimina praecavenda. — Ante oculos habemus Europae tempora. Multos iam annos plus specie in pace vivitur, quam re. Insidentibus suspicionibus mutuis, singulae fere gentes pergunt certatim instruere sese apparatu bellico. Improvida adolescentium aetas procul parentum consilio magisterioque in pericula truditur vitae militaris : validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis, ad arma tràducitur. Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta fortuna privatorum : iamque ea, quae nunc est, veluti procincta pax diutius ferri non potest. Civilis hominum coniunctionis talemne esse naturâ statum ? Atqui hinc evadere, et pacem veri nominis adipisci, nisi IESU CHRISTI beneficio, non possumus. Etenim ad ambitionem, ad appetentiam alieni, ad aemulationem cohibendam, quae sunt maximae bellorum faces, christiana virtute imprimisque iustitia, nihil est aptius : cuius ipsius virtutis munere tum iura gentium et religiones foederum integra esse possunt,

Pacem inter se veram gentes non possunt adipisci nisi Jesu Christi beneficio.

1. *Ioan.*, XVI, 33.

tum germanitatis vincula firmiter permanere, eo persuaso : *Iustitia elevat gentem* (1).

20 IUNII 1894.

Pariter domi suppetet inde praesidium salutis publicae multo certius ac validius, quam quod leges et arma praebent. Siquidem nemo non videt, ingravescere quotidie pericula incolumitatis et tranquillitatis publicae, cum seditiosorum sectae, quod crebra testatur facinorum atrocitas, in eversiones conspirent atque excidia civitatum. Scilicet magna contentione agitatur ea duplex caussa, quam *socialem*, quam *politicam* appellant. Utraque sane gravissima : atque utrique sapienter iusteque dirimendae, quamvis laudabilia studia, temperamenta, experimenta sint in medio consulta, tamen nihil aliud tam opportunum fuerit, quam si passim animi ad conscientiam regulamque officii ex interiore fidei christianae principio informentur. — De *sociali* caussa in hanc sententiam a Nobis non multo ante, datâ operâ, tractatum est, sumptis ab Evangelio, itemque a naturali ratione principiis. — De caussa *politica*, libertatis cum potestate conciliandae gratiâ, quas multi notione confundunt et re intemperanter distrahunt, ex christiana philosophia vis derivari potest perutilis. Nam hoc posito, et omnium assensu approbato, quaecumque demum sit forma reipublicae, auctoritatem esse a Deo, continuo ratio perspicit, legitimum esse in aliis ius imperandi, consentaneum in aliis officium parendi, neque id dignitati contrarium, quia Deo verius quam homini paretur : a Deo autem *iudicium durissimum iis qui praesunt* denuntiatum est, nisi personam eius recte iusteque gesserint. Libertas vero singulorum nemini potest esse suspecta et invisa, quia nocens nemini, in iis quae vera sunt, quae recta, quae cum publica tranquillitate coniuncta, versabitur. — Denique si illud spectetur, quid possit populorum ac principum parens et conciliatrix Ecclesia, ad utrosque iuvandos auctoritate consilioque suo nata, tum maxime apparebit quantum salutis communis intersit ut gentes universae inducant animum idem de fide christiana sentire, idem profiteri.

Non tantum foris, sed et domi pacem firmaret unitas Fidei, quippe quae caussae sociali *necnon* politicae *dirimendae opportunissima est.*

De sociali *caussa actum est in litt. encycl. de conditione opificum. — In re* politica *docet Ecclesia principes recte gerere potestatem ipsis a Deo commissam : subditis vero inculcat debitum obsequium principi, Dei personam gerenti.*

Ecclesia optima conciliatrix est concordiae principum ac populorum.

Ista quidem cogitantes ac toto animo concupiscentes,

Laete

1. *Prov.*, XIV, 34.

considerat Pontifex quot ex restituta Fidei unitate proventura essent bona vel ipsis incultis gentibus:

longe intuemur qualis esset rerum ordo in terris futurus, nec quidquam novimus consequentium bonorum contemplatione iucundius. Fingi vix animo potest, quantus ubique gentium repente foret ad omnem excellentiam prosperitatemque cursus, constituta tranquillitate et otio, incitatis ad incrementa litteris, conditis insuper auctisque christiano more, secundum praescripta Nostra, agricolarum, opificum, industriorum consociationibus, quarum ope et vorax reprimatur usura, et utilium laborum campus dilatetur.

veritatis siquidem humanitatisque lumen, quominus ad remotos diffunderetur populos, impedivit non minima ex parte discordia saeculo XVI orta.

Quorum vis beneficiorum, humanarum atque excultarum gentium nequaquam circumscripta finibus, longe lateque, velut abundantissimus amnis, deflueret. Illud enim est considerandum, quod initio diximus, gentes multitudine infinitas plura iam saecula et aetates praestolari, a quo lumen veritatis humanitatisque accipiant. Certe, quod pertinet ad sempiternam populorum salutem, aeternae mentis consilia longissime sunt ab hominum intelligentia remota: nihilominus si per varias terrarum plagas tam est adhuc infelix superstitio diffusa, id non minima ex parte vitio dandum subortis de religione dissidiis. Nam, quantum valet mortalis ratio ex rerum eventis existimare, hoc plane videtur Europae munus assignatum a Deo, ut christianam gentium humanitatem ad omnes terras sensim perferat. Cuius tanti operis initia progressusque, superiorum aetatum parta laboribus, ad laeta incrementa properabant, cum repente discordia saeculo XVI deflagravit. Discerpto disputationibus dissidiisque nomine christiano, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, funestam temporum vim sacrae expeditiones sensere. Insidentibus discordiae caussis, quid mirum si tam magna pars mortalium moribus inhumanis et vesanis ritibus implicita tenetur? Omnes igitur pari studio demus operam ut concordia vetus, communis boni caussâ, restituatur. Eiusmodi reconciliandae concordiae, pariterque beneficiis christianae sapientiae late propagandis, opportuna maxime fluunt tempora, propterea quod humanae fraternitatis sensa nunquam altius in animos pervasere, neque ulla aetate visus homo sui similes, noscendi opitulandique caussâ, studiosius anquirere. Immensos terrarum

Restituendae concordiae, ac veritati late propagandae, opportunissima advenere tempora.

marisque tractus celeritate incredibili currus et navigia transvehuntur; quae sane egregios usus afferunt, non ad commercia tantummodo curiositatemque ingeniosorum, sed etiam ad verbum Dei ab ortu solis ad occasum late disseminandum. *20 IUNII 1894.*

Spem omnem felicis rei exitus, in Iesu reponit Pontifex,

Non sumus nescii, quam diuturni laboriosique negotii sit rerum ordo, quem restitutum optamus: nec fortasse deerunt, qui Nos arbitrentur nimiae indulgere spei, atque optanda magis, quam expectanda quaerere. Sed Nos quidem spem omnem ac plane fiduciam collocamus in humani generis Servatore IESU CHRISTO, probe memores, quae olim et quanta per stultitiam Crucis et praedicationis eius patrata sint, *huius mundi* obstupescente et confusa *sapientia*. — Principes vero et rectores civitatum nominatim rogamus, velint pro civili prudentia sua et fideli populorum cura consilia Nostra ex veritate aestimare, velint auctoritate et gratia fovere. Quaesitorum fructuum si vel pars provenerit, non id minimi fuerit beneficii loco in tanta rerum omnium inclinatione, quando impatientia praesentium temporum cum formidine iungitur futurorum.

Principesque rogat ut haec perpendant monita.

Memorata superioris saeculi perturbatione, exoptat ut praesens ad finem deveniat aetas inter concordiae initia, opitulante Deo.

Extrema saeculi superioris fessam cladibus trepidamque perturbationibus Europam reliquere. Haec, quae ad exitum properat aetas, quidni, versa vice, humano generi hereditate transmittat auspicia concordiae cum spe maximorum bonorum, quae unitate fidei christianae continentur?

Adsit optatis votisque Nostris *dives in misericordia Deus, cuius in potestate tempora sunt et momenta*, benignissimeque implere maturet divinum illud IESU CHRISTI promissum, *fiet unum ovile et unus pastor* (1).

Datum Romae apud S. Petrum die XX Iunii MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

1. *Ioan.*, X, 16.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae.

DE AUGENDA RE CHRISTIANA IN BRASILIA

2 JULII 1894.

Amplificata a Pontifice hierarchia in Brasilia, jam licet Pastoribus vigilantius gregi et clero prospicere.

LITTERAS a vobis superiore anno accepimus, communis laetitiae gratique animi nuncias de hierarchia apud vos paulo ante amplificata, altera videlicet ecclesiastica instituta provincia sedibusque episcopalibus quatuor adiectis. — De nova hac Apostolicae in gentem vestram sollicitudinis significatione sane fuit laetandum. In pluribus enimvero caussis quibus res catholica aliquantum apud vos inclinari videbatur, recensendus etiam, impar amplitudini regionis ac frequentiae incolarum, Antistitum sacrorum numerus. Nam inde fiebat ut Episcopi non illâ, qua exoptarent, vigilantia in clerum gregemque creditum uti possent, tum ad incommoda propulsanda, tum ad virtutem dignitatemque catholici nominis provehendam. Quapropter pastoralem navitatem vestram probavistis, quum, Paulopolim congressi, episcopalis hierarchiae amplificationem a Pontifice romano postulastis : quibus Nos postulationibus libenter duximus obsecundandum. — At enim, Venerabiles Fratres, dum ex Episcopis, numero quam antea pluribus, rei christianae spes nitet uberis incrementi, id tamen ex vestro potissimum cuiusque studio expectandum est, ut gliscentibus undique malis opportuna adhibeantur remedia. Hanc ipsam in partem ne providentia caritatis Nostrae desideretur, aperiendum censuimus quae curis vestris praecipue commendata velimus, ad fidei pietatisque christianae profectum magnopere, ut speramus, utilia.

Aucto Episcoporum numero, adhibeantur a singulis remedia malis tollendis opportuna.

Ad scientiam informentur homines sacri ordinis,

Elaborandum in primis ut homines sacri ordinis disciplinis optimis instituantur, iis praesertim quibus maxime est opus, ut catholicam veritatem et apte pro officio proponere et strenue ab oppugnationibus possint tutari. Nimis quotidie experiendo patet fidei ac religionis ignoratione ibi fere populos premi, ubi administri sacrorum consentanea

vacent doctrina. Os etenim sacerdotis est unde legem requirere fideles oporteat : *Angelus enim Domini est;* ob eamque caussam edictum legimus : *Labia sacerdotis custodient scientiam* (1) : Apostolus vero ceteris cum rationibus quibus se exhibuit *sicut Dei ministrum* (2), scientiam quoque commemorat. Quae quidem scientia quum abest, id etiam consequitur ipsis sacerdotibus perniciosum, ut nimirum, Deo neglecti officii poenam repetente, contemnantur a plebe : *Propterea dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis* (3). — Hoc tamen doctrinae ornamentum idem et praesidium nequaquam ad propositum vere conducet, si a vitae sit morumque sanctimonia seiunctum. Praeterquam etenim quod scientia sine caritate *non aedificat, sed inflat* (4), illud fere est hominum ingenium ut, quamvis Christus edixerit, doctrinam quidem ab sacrorum ministris accipiendam, opera vero eorum non attendenda si a doctrina dissenserint; proclivius tamen in ea ferantur quae usurpent oculis, quam quae per aures dimittantur. Proptereaque de ipso Servatore Deo, qui pastorum sui gregis non magister solum sed forma etiam est factus, praeclare testatum legimus eum *coepisse facere et docere;* ut scilicet quam sacerdos tradit commendatque doctrinam, eam re ipse confirmet. Prae ceteris, qui paroeciis regundis praefectus est, laboris ne sit impatiens, vocatusque in vineam Domini, hanc impigre et constanter exerceat et colat, religiose memor, de animabus sibi creditis rationem se aliquando Domino gravissimam redditurum. Operam vero ne perdat, in omni studeat et tempore et re disciplinae esse retinentissimus. Strenue quidem Christo militandum; non tamen nisi eorum nutu et auctoritate, quos ipse Christus duces elegit.

sintque morum sanctitate conspicui,

ut verbo traditam doctrinam, exemplo confirment.

Qui paroeciis praesunt, suum officium diligentissime impleant,

Superiorum ductu.

Tales vobis, Venerabiles Fratres, adiutores educere, vester est labor : siquidem exploratum, eos demum sacerdotes futuros, quales vos formandos curaveritis. Habetis nempe ubi, ad vestrum et Ecclesiae votum, ministros effingatis *probabiles Deo, operarios inconfusibiles* (5) : in sacris videlicet Seminariis, quae cui bono magno sint instituta, vel ipso

Maxima sit cura Episcopis de Seminariis,

1. *Malach.*, II, 7. — 2. *II Cor.*, VI, 4. — 3. *Malach.*, ib. 9. — 4. *I Cor.*, VIII, 1. — 5. *II Tim.*, II, 15.

nomine apertum est. Huc igitur intendite animos et sedulitatem, sic ut ecclesiastica Seminaria, quae iam sunt, omnino vigeant floreantque, tum ad studia sacrarum disciplinarum quod attinet, tum quod spectat ad animos adolescentium sancte fingendos. Studia quidem ut recte procedant, optimis doctoribus opus est, non modo sana doctrina imbutis, verum qui illam accommodate tradant et ad Nostra praescripta fideliter. Ut autem adolescens clerus germanum Ecclesiae spiritum hauriat et excolatur virtutibus, magistri pietatis diligentissime deligendi sunt; quorum tamen operam vestra etiam plena industriae sollicitudo adiuvet et perficiat. At vero in dioecesibus ubi nulla adhuc Seminaria existunt, curent omni ope Antistites ut ea quamprimum quamque optime constituantur; omnia pro potestate exequendo, quae in hanc partem tum a Tridentina Synodo sancita sunt, tum Nosmetipsi praecepimus Apostolicis litteris V cal. Maii anno MDCCCXCII datis. Ipsa docendi libertas, quae apud gentem vestram nunc valet, facultatem affert vobis maiorem, ut ea praestetis quae de apta ratione studiorum commendavimus. — Ad haec praeclarum quoque adiumentum paratum est in clericorum Collegio, quod Romae, commodo Americae meridionalis, Pius IX Decessor Noster fel. rec. condendum curavit, quodque Nosmetipsi provehere studuimus valdeque fovemus. Expectationem vero exitus felicius in dies complet: satisque est commemorare, ex ipso vestro numero, Venerabiles Fratres, nonnullos censeri quos habuisse alumnos iure idem Ephebeum laetatur. Iuverit ergo, et auctores praecipue sumus ut, quos egregiae spei adolescentes habueritis, Romam formandos mittatis, iisdem postmodum qua ad docendum qua cetera ad munia commode usuri.

in quibus magistri scientiarum atque pietatis assumantur optimi.

In dioecesibus ubi nulla adhuc Seminaria existunt, curent Antistites ut ea quamprimum constituantur.

Romam mittantur egregiae spei adolescentes in collegio clericorum Americae meridionalis instituendi.

Vix attinet dicere de emolumento, quod vobis in sacra re familiae ordinum religiosorum sunt allaturae. Eas Nos ex providentia Apostolica rati sumus ab iacturis praeteritorum temporum in pristinam institutorum observantiam restituere: quod ut e sententia cederet melius, III nonas Septembris anno MDCCCXC Religiosorum indigenorum domus ut Episcoporum auctoritati subessent decrevimus. — In re igitur tam utili ac praestanti partes vestras minime

Instaurandae observantiae studio decrevit Pontifex ut Religiosorum indigenorum domus auctoritati subessent Episcopo-

defuturas confidimus. Grata quidem acciderunt quae propterea transacta iam sunt, curante Venerabili Fratre Hieronymo Archiepiscopo Petraeo, Sedis Apostolicae Internuntio apud reipublicae vestrae Praesides. Quo tamen coepta maiores habeant auctus atque optatos ad exitus adducantur, in hoc adhortamur strenuam religioni vestrisque maxime gregibus operam navetis. Gratulandum interea, Religiosas tum virorum tum feminarum familias libenti animo quae a Nobis mandata sunt excepisse et ad primaevi cuiusque instituti restitutionem sese alacres exhibuisse.

2 IULII 1894.

rum: strenue jam hi munus suum in re tam utili impleant.

Laudantur Religiosae familiae mandatis S. Sedis obsequentes.

Ista, Venerabiles Fratres, de clero recte formando adhibendoque ad sacra: neque minus industriam vestram rationes fidelium exposcunt. Qua in caussa, quod ceteris anteponendum, illud est, ut religionis sanctissimae elementa pueri rudesque homines apposite doceantur, Curionum sacrorum diligentiâ assidue excitata. Tum vero, quandoquidem publice licet, ludi instituantur puerili aetati erudiendae, ne ipsa, grandi cum fidei rectorumque morum detrimento, vel haereticorum, quod usuvenit, adire scholas, vel gymnasia celebrare adigatur, ubi mentio nulla catholicae disciplinae, nisi forte calumniosa, infertur. — Praeterea, quoniam consiliis exemplisque mutuis confirmantur animi et ad fortia pro religione agenda perpetiendaque inflammantur, merebitis idcirco optime de re catholica et publica, si hominibus laicis, iuvenibus praesertim, suasores auctoresque eritis ut in societates christiano instituto coëant. Has crebra Nos hortatione laudavimus, quippe quae, quum curandis religionis rationibus et egenorum utilitatibus promovendis studeant, tum omni ope efficacitatem minuant earum consociationum, quae, publicae caritatis appellatione abusae, Ecclesiae et civitatis bono valde adversantur. — Nec vos praetereat, Venerabiles Fratres, quantam, hisce maxime temporibus, in bonum in malum sint nactae vim ephemerides adsimilesque in vulgus editae scriptiones. Ne sit igitur in postremis catholicorum curis, ut his etiam armis in christiani nominis defensionem certetur; rite nimirum observato Episcoporum ductu, atque integrâ reverentia quae civili debetur potestati. — Denique catholicos omnes me-

Non minor de fidelibus quam de clero sit Episcopis cura.

Docentur pueri rudesque homines religionis elementa; scholae puerorum condantur,

societates christianae a laicis constituantur, iis consociationibus opponendae quae Ecclesiae necnon civitati adversantur.

Ephemerides perversas catholici scriptis suis impugnent, Episcoporum ductu.

Iis tantum Catho-

licorum suffragia faveant, qui religionis simul ac reipublicae studium prae se ferant.

minisse oportet, hoc maxime Ecclesiae interesse quales in coetum legumlatorum cooptentur homines: quamobrem, salvo civilium legum iure, eniti universos necesse est, ut tales suffragio communi eligant, qui cum studio publicae rei studium religionis probatum coniungant. Id autem eo eveniet felicius, si supremae auctoritati rem publicam moderanti obsequium singuli deferant, eaque unanimes constantesque persequantur, quae Nos dudum in litteris encyclicis de Civitatum constitutione christiana ediximus.

Concordiae fovendae gratia, saepius iterentur episcopales conventus.

Ceterum, Venerabiles Fratres, vigeat in vobis caritas arctissima et animorum concordia, *ut idem sapiatis, unanimes, idipsum sentientes* (1). Cuius rei gratiâ summopere commendamus ut inter vos frequenter communicetis consilia, atque episcopales conventus, pro locorum intervallis sacrisque muneris officiis, saepius iteretis. Adest vobis Apostolicae Sedis Legatus, qui mentem Nostram et consilia vobis aperiat; Nos vero, pro paterna qua vos complectimur

Benevolentissimum Episcopis animum testatur Pontifex,

caritate, ad ferendam studiis vestris opem paratos nullo non tempore habetis.

Caelestium autem bonorum munera, unde ad pastorale officium sancte gerendum suppetant vires, Deus perbenigne largiatur; eorumque sit auspex Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, clero populisque cuiusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

eisque benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die II Iulii MDCCCXIV Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

1. *Philipp.*, II, 2.

EPISTOLA ENCYCLICA.

DE ROSARIO MARIALI.

8 SEPT. 1894.

Gaudet Pontifex Octobrem mensem Rosarii florere cultu,

IUCUNDA semper expectatione erectâque spe Octobrem mensem conspicimus redeuntem ; qui, hortatione et praescripto Nostro dicatus Virgini Beatissimae, non paucos iam annos concordi per catholicas gentes et vivida ROSARII floret pietate. Quae Nos ad hortandum moverit caussa, non semel ediximus. Nam calamitosa Ecclesiae civitatumque tempora quum praesentissimum Dei auxilium omnino deposcerent, hoc nimirum Matre eius deprecatrice implorandum esse censuimus, eoque praecipue supplicandi ritu contendendum, cuius virtutem christianus populus nunquam sibi non saluberrimam sensit. Id enimvero sensit ex ipsa marialis Rosarii origine, tum in fide sancta a nefariis tutanda incursibus hominum haereticorum, tum in consentanea virtutum laude, quae per saeculum corrupti exempli relevanda erat et sustinenda : idque perenni sensit privatim et publice beneficiorum cursu, quorum memoria praeclaris etiam institutis et monumentis ubique est consecrata. Similiter in aetatem nostram, multiplici rerum discrimine laborantem, fructus inde salutares provenisse commemorando laetamur : attamen circumspicientes, Venerabiles fratres, videtis ipsi caussas adhuc insidere partimque ingravescere, quamobrem hoc item anno obsecrandae caelestis Reginae ardor, Nostra exhortatione, vestris in gregibus excitetur. — Accedit quod, intima in Rosarii natura cogitationem defigentibus, quanto Nobis eius praestantia utilitatesque illustrius apparent, tanto acuitur desiderium et spes, posse adeo commendationem Nostram, ut eiusdem sacratissimae precis religio, aucta in animis cognitione et amplificata consuetudine, optimis vigeat incrementis. Cuius rei gratiâ non ea quidem revocaturi sumus quae superioribus annis variâ in eodem genere ratione libuit edisserere : illud potius ad considerandum docendum-

cujus quidem virtutem nunquam non sensit christianus populus.

Ad ipsum in dies augendum Pontifex his litteris exponit per hanc precem erigi nostram impetrandi fiduciam, et B. M. Virginis in genus humanum

commoveri miserationem.

que occurrit, qua divini consilii excellentia fiat, ut, ope Rosarii, et impetrandi fiducia in animos precantium suavissime influat et materna in homines almae Virginis miseratio summa benignitate ad opitulandum respondeat.

PARS PRIOR.

Mariam ideo invocamus, quod novimus eam gratiae divinae esse conciliatricem. Hoc vero omnino patet expressum in Rosario, quum eximias partes quas egit Virgo ad salutem hominum procurandam, singula exponant mysteria Gaudii,

Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in fundamento, in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque Caelitibus sanctis omnibus potentia antecellens. Hoc vero munus in nullo fortasse orandi modo tam patet expressum quam in Rosario ; in quo partes quae fuerunt Virginis ad salutem hominum procurandam sic recurrunt, quasi praesenti effectu explicatae : id quod habet eximium pietatis emolumentum, sive sacris mysteriis ad contemplandum succedentibus, sive precibus ore pio iterandis. — *Principio coram sunt* GAVDII mysteria. Filius enim Dei aeternus sese inclinat ad homines, homo factus ; assentiente vero Maria et *concipiente de Spiritu sancto.* Tum Ioannes materno in utero *sanctificatur* charismate insigni, lectisque donis *ad vias Domini parandas* instruitur ; haec tamen contingunt ex salutatione Mariae, cognatam divino afflatu visentis. In lucem tandem editur Christus, *expectatio gentium,* ex Virgine editur ; eiusque ad incunabula pastores et magi, primitiae fidei, pie festinantes, *Infantem inveniunt cum Maria Matre eius.* Qui deinde, ut semet hostiam Deo Patri ritu publico tradat, vult ipse in templum afferri ; ministerio autem Matris ibi *sistitur Domino.* Eadem, in arcana Pueri amissione, ipsum anxia sollicitudine quaeritat reperitque ingenti gaudio. —

Doloris,

Neque aliter loquuntur DOLORIS mysteria. In Gethsemani horto, ubi IESUS pavet moeretque ad mortem, et in praetorio, ubi flagris caeditur, spineâ corona compungitur, supplicio multatur, abest ea quidem Maria, talia vero iamdiu habet cognita et perspecta. Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum consors cum eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis : ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non

est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat ; quod in eisdem mysteriis postremum flebiliusque obversatur : *stabat iuxta Crucem Iesu Maria Mater eius*, quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa. — In mysteriis denique GLORIAE quae consequuntur, idem magnae Virginis benignissimum munus confirmatur, re ipsa uberius. Gloriam Filii de morte triumphantis in tacita delibat laetitia : sedes autem superas repetentem materno affectu prosequitur ; at, caelo digna, detinetur in terris, exorientis Ecclesiae solatrix optima et magistra, *quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum* (1). Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit quam promissus a Christo Spiritus Sanctus advenerit, ipsam idcirco in memori Cenaculo contemplamur, ubi simul cum Apostolis pro eisque postulans inenarrabili gemitu, eiusdem Paracliti amplitudinem maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defecturum. Sed cumulato perpetuoque munere caussam nostram exoratura est, ad saeculum immortale progressa. Scilicet ex lacrimosa valle in civitatem sanctam Ierusalem evectam suspicimus, choris circumfusis angelicis : colimusque in Sanctorum gloria sublimem, quae stellanti diademate a Filio Deo aucta, apud ipsum sedet regina et domina universorum. — Haec omnia, Venerabiles Fratres, in quibus *consilium Dei* proditur, *consilium sapientiae, consilium pietatis* (2), simulque per magna in nos merita Virginis Matris elucent, neminem quidem possunt non iucunde afficere, certa spe iniecta divinae clementiae et miserationis administrâ Maria consequendae.

8 SEPT. 1894.

atque Gloriae.

Eodem spectat, apte concinens cum mysteriis, precatio vocalis. Antecedit, ut aequum est, dominica oratio ad Patrem caelestem : quo eximiis postulationibus invocato, a solio maiestatis eius vox supplex convertitur ad Mariam ;

Preces vero vocales eo disponuntur ordine.

1. S. Bernardus, *De* XII *praerogativis B. M. V.*, n. 3.
2. S. Bernardus, *Serm. in Nativ. B. M. V.*, n. 6.

non aliâ nimirum nisi hac de qua dicimus conciliationis et deprecationis lege, a sancto Bernardino Senensi in hanc sententiam expressa : *Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur* (1). *Quibus* veluti gradibus, diversae quidem inter se rationis, positis, in hoc extremo libentius quodammodo longiusque ex instituto Rosarii insistimus, salutatione angelica in decades continuata, quasi ut fidentius ad ceteros gradus, id est per Christum ad Deum Patrem, nitamur. Sic vero eamdem salutationem toties effundimus ad Mariam, ut manca et debilis precatio nostra necessariâ fiducia sustentetur ; eam flagitantes ut Deum pro nobis, nostro velut nomine, exoret. Nostris quippe vocibus magna apud illum et gratia et vis accesserit, si precibus Virginis commendentur : quam blanda ipsemet invitatione compellat : *Sonet vox tua in auribus meis ; vox enim tua dulcis* (2). Hanc ipsam ob rem toties redeunt praedicata a nobis quae sunt ei gloriosa nomina ad impetrandum. Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit*, singulariter ab illo *plenam gratiâ*, cuius copia ad universos profluueret : eam, cui Dominus quanta maxima fieri possit cuniunctione inhaeret ; eam, *in mulieribus benedictam*, quae *sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit* (3), beatum ventris sui fructum, in quo *benedicentur omnes gentes :* eam demum *Matrem Dei* invocamus ; ex qua dignitate excelsa quid non *pro nobis peccatoribus* certissime exposcat, quid non speremus in omni vita et in agone spiritus ultimo ?

et numero,

talibusque sunt B. M. Virginis titulis insignes, ut ipsam egregie praedicent conciliatricem divinae gratiae.

Huiusmodi precibus mysteriisque qui omni diligentia et fide vacaverit, fieri certe nequit ut non in admirationem rapiatur de divinis in magna Virgine consiliis ad communem gentium salutem ; atque alacri gestiet fiducia sese in tutelam eius sinumque recipere, ea fere sancti Bernardi obtestatione : *Memorare, o piissima Virgo Maria, nunquam auditum a saeculo quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum.*

Rosarii ergo mysteriis precibusque intentus animus, summa inde fiducia se committit B. M. Virginis tutelae

1. *Serm.* VI *in festis B. M. V. de Annunc.*, a. I, c. 2. — 2. *Cant.* II, 14. — 3. S. Thomas, *Op.* VIII *super salut. angel.*, n. 8.

8 SEPT. 1894.

PARS ALTERA.

Quae autem est Rosarii virtus ad suadendam orantibus impetrationis fiduciam, eadem pollet ad misericordiam nostri in animo Virginis commovendam. Illud est manifestum quam sibi laetabile accidat, videre nos et audire dum honestissimas petitiones pulcherrimasque laudes rite nectimus in coronam. Quod enim, ita comprecando, debitam Deo reddimus et optamus gloriam ; quod nutum voluntatemque eius unice exquirimus perficiendam ; quod eius extollimus bonitatem et munificentiam, appellantes Patrem ac munera praestantissima indigni rogantes ; hisce mirifice delectatur Maria, vereque in pietate nostra *magnificat Dominum.* Digna siquidem precatione alloquimur Deum, quum oratione dominica alloquimur. — Ad ea vero quae in hac expetimus, tam per se recta et composita, tamque congruentia cum christiana fide, spe, caritate, addit pondus commendatio quaedam, Virgini quam gratissima. Nam cum voce nostra vox ipsa consociari videtur JESU Filii ; qui eamdem orandi formulam conceptis verbis tradidit auctor, praecepitque adhibendam : *Sic ergo vos orabitis* (1). Nobis igitur talem praeceptionem, Rosarii ritu, observantibus propensiore illa voluntate, ne dubitemus, officium suum, solliciti amoris plenum, impendet ; haec autem mystica precum serta facili ipsa vultu accipiens, bene largo munerum praemio donabit. — In quo, ut liberalissimam bonitatem eius certius nobis polliceamur, non mediocris caussa est in propria Rosarii ratione, ad recte orandum perapta. Multa quidem et varia, quae hominis est fragilitas, orantem avocare a Deo solent eiusque fidele propositum intervertere : at vero qui rem probe reputet, continuo perspiciet quantum in illo efficacitatis insit, quum ad intendendam mentem et socordiam animi excutiendam, tum ad salutarem de admissis dolorem excitandum educendumque spiritum in caelestia. Quippe ex duobus, ut percognitum est, constat Rosarium, distinctis inter se coniunctisque, meditatione mysteriorum et acta per vocem precatione. Quocirca hoc genus orandi peculiarem quamdam hominis attentionem desiderat ; qua nimirum, non solum mentem ad Deum modo aliquo dirigat, verum in

Gratissimae sunt Mariae Rosarii preces, quippe quibus in coronam nectimus ipsius laudes eximiasque petitiones ea contentas oratione quam ipse Jesus nos docuit.

Mysteriorum contemplatione mens nostra a terrenis ad coelestia elevatur, atque ad meliorem informatur vitam ; quoquidem fit almae Virgini acceptior.

1. *Matth.*, VI, 9.

rebus considerandis contemplandisque ita versetur, ut etiam documenta capiat melioris vitae omnisque alimenta pietatis. Neque enim iisdem rebus maius quidquam aut admirabilius est, in quibus fidei christianae vertitur summa ; quarum lumine ac virtute, veritas et iustitia et pax, novo in terris rerum ordine laetissimisque cum fructibus, processerunt.

Illa autem mysteria meditatu faciliasunt vel ipsis indoctis.

— Cum hoc illud cohaeret, quemadmodum eaedem res gravissimae cultoribus Rosarii proponantur ; eo videlicet modo qui ingeniis vel indoctorum accommodate conveniat. Est enim sic institutum, non quasi proponantur capita fidei doctrinaeque consideranda, sed potius veluti usurpanda oculis facta et recolenda : quae iisdem fere atque acciderunt locis, temporibus, personis, oblata, eo magis tenent animos utiliusque permovent. Quod autem haec a teneris vulgo sunt indita animis et impressa, ideo fit ut, singulis enunciatis mysteriis, quisquis vere est orandi studiosus, nulla prorsus imaginandi contentione, sed obvia cogitatione et affectu per ea discurrat, abundeque sibi imbibat, largiente Maria, rorem gratiae supernae. — Alia est praeterea laus quae acceptiora apud ipsam ea serta faciat et praemio digniora. Quum enim ternum mysteriorum ordinem piâ memoria replicamus, inde testatior a nobis extat gratae erga ipsam affectio voluntatis ; ita nimirum profitentibus, nunquam nos expleri beneficiorum recordatione, quibus salutem ipsa nostram inexplebili est caritate complexa. Tantarum autem monumenta rerum frequenter in eius conspectu diligenterque celebrata, vix adumbrare cogitando possumus quali beatam ipsius animam usque novae laetitiae voluptate perfundant, et quos in ea sensus exsuscitent providentiae beneficentiaeque maternae. Atque adeo ex iisdem recordationibus consequitur, ut imploratio nostra vehementiorem quemdam ardorem concipiat et vim induat obsecrandi : sic plane, ut quot singulatim revolvuntur mysteria, totidem subeant obsecrationis argumenta, sane apud Virginem quantopere valitura. Nempe ad te confugimus, sancta Dei Parens : miseros Hevae filios ne despexeris ! Te rogamus, Conciliatrix salutis nostrae aeque potens et clemens ; te, per suavitatem gaudiorum ex IESU Filio perceptam, per dolorum eius

Accepta a Virgine beneficia revolvimus grato animo, Rosarium colentes; ipsa vero, magno inde perfusa gaudio, ardentes has preces libenter exaudit.

inexplicabilium communionem, per claritudinem eius gloriae in te redundantem, enixe obsecramus ; eia nos, quamvis indignos, audi benigna et exaudi. *8 SEPT. 1894.*

Vobis igitur, Venerabiles Fratres, Rosarii marialis praestantiâ, duplici quoque ex parte quam laudavimus, considerata, eo fiat apertius cur non desinat cura Nostra idem inculcare, idem provehere. Caelestibus auxiliis, quod initio monuimus, maiorem quotidie in modum indiget saeculum ; praesertim quum late sint multa quibus afflictetur Ecclesia, iuri suo libertatique adversis ; multa quae civitatibus christianis prosperitatem et pacem funditus labefactent. Iamvero ad ea demerenda auxilia spem Nos plurimam in Rosario habere sitam, rursus affirmateque profitemur. Utinam sanctae huic pietati pristinus ubique honor, secundum vota, reddatur: haec in urbibus et villis, in familiis et officinis, apud primores et infimos, adametur et colatur, non secus ac praeclara christianae professionis tessera, optimumque praesidium divinae propitiandae clementiae. — Quod quidem in dies impensius urgeant omnes oportet, quando impiorum vesana perversitas nihil iam non urget machinando et audendo ut divini Numinis iram lacessat iustaeque animadversionis trahat pondus in patriam. Inter ceteras enim caussas, hoc dolent Nobiscum boni omnes, in sinu ipso gentium catholicarum nimium esse multos, qui contumeliis religioni quocumque modo illatis laetentur, ipsique, incredibili quadam licentia quidlibet evulgandi, in id videantur incumbere ut sanctissimas eius res exploratamque de Virginis patrocinio fiduciam in contemptionem et ludibrium multitudinis vocent. Proximis hisce mensibus, ne Christi quidem IESV Servatoris personae augustissimae temperatum est. Quam rapere in illecebras scenae, iam passim contaminatae flagitiis, minime puduit, eamdemque referre propriâ deminutam naturae divinae maiestate ; qua detracta, redemptionem ipsam humani generis tolli necesse est. Neque puduit velle a sempiterna infamia hominem eripere, sceleris reum perfidiaeque summâ post hominum memoriam immanitate detestabilis, proditorem Christi. — Ad haec, per Italiae urbes vel patrata vel patranda, indignatio universe commota est, acriter deplorantium sacerrimum ius

Concludit Pontifex Rosarium in remedium esse adhibendum ad propulsanda Ecclesiae mala,

audacius in dies grassantibus impiis.

Contumeliae referuntur ipsi Deo Jesu nuper illatae in Italia,

ad quas quidem indignatio universe

commota est.

religionis violatum, in eâque gente violatum, oppressum, quae de catholico nomine in primis meritoque gloriatur. Tum vigil Episcoporum sollicitudo, perinde ac oportebat, exarsit: qui expostulationes aequissimas ad eos detulerunt quibus sanctum esse debet patriae religionis tueri dignitatem, et greges suos non modo de gravitate periculi admonuerunt, sed etiam hortati sunt ut nefarium dedecus Auctori amantissimo salutis nostrae singularibus religionis officiis compensarent. Nobis certe omnino probata est bonorum alacritas, multis modis egregie declarata, valuitque ad leniendam aegritudinem ea de re intime acceptam. Per hanc vero alloquendi opportunitatem, supremi Nostri munerís vocem iam nequimus premere; atque cum eis ipsis Episcoporum et fidelium expostulationibus Nostras coniungimus quam gravissime. Eodemque apostolici pectoris studio quo sacrilegum facinus conquerimur et exsecramur, cohortationem ad christianas gentes, nominatim ad Italos, vehementer intendimus, ut religionem avitam, quae locupletissima hereditas est, inviolate custodiant, strenue vindicent, honeste pieque factis ne intermittant augere. —Itaque, hac etiam de caussa, continua Octobri mense certet optamus singulorum et sodalitatum industria in honore habendo magnae Dei Matri, Adiutrici potenti christianae rei, Reginae caelesti gloriosissimae. Nos vero munera indulgentiae sacrae, in hoc ipso antea concessa, maxima voluntate confirmamus.

Sollicitudo laudatur Episcoporum sacrilegos ausus reprobantium

Hos et ipse conquestus Pontifex, Christianas hortatur gentes ad religionem inviolate custodiendam.

Optat Mariam omnes eximie venerentur mense Octobri,

et Deum apprecatus

Deus autem, Venerabiles Fratres, qui nobis *talem Mediatricem benignissima miseratione providit* (1), quique *totum nos habere voluit per Mariam* (2), eiusdem suffragio et gratia, faveat communibus votis, cumulet spes; accedente benedictionis Apostolicae auspicio, quam vobis ipsis et vestro cuiusque Clero populoque peramanter in Domino impertimus.

benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

1. S. Bernardus, *De* XII *praerogativ. B. M. V.*, n. 2.
2. Id. *serm. in Nativ. B. M. V.*, n. 7.

EPISTOLA

Ad Commissarium Tertii Ord. S. Frc. per Galliam.

DE ORDINIS OPPORTUNITATE.

QUAE nuper consilia tu compluresque Tertii Ordinis Franciscales, auspiciis sacratissimi Cordis IESU, in oppido *Paray-le-Monial* congressi suscepistis, allata sunt Nobis cum obsequentissimis litteris, vix dum epistolam dederamus ad similem Coetum, Novariae proxime habendum. Est iucundum sane et optimae spei videre passim, quo studio, qua concordia sodales eius Ordinis contendant ut hoc etiam divinae bonitatis praesidium pro merito aestimetur, fructusque afferat, quos enimvero potest, aetati nostrae proprios et salutares. Quam fructuum opportunitatem alias Nos fusiusque persecuti sumus : ipsaque similitudo temporum, quibus tale Institutum exortum providenter est, eo impensius movit ut eamdem disciplinam pietati catholicorum commendaremus. Documenta vero et commendationem Nostram multum apud vos valuisse re ipsa praesenti perspicuum est ; maxime quum tantopere agatis de nativa Tertii Ordinis vi in adiumentum causae socialis revocanda. Videlicet praeiudicatas in ea caussa opiniones fraudesque malas revincere : iustitiae aequitatisque evangelicae tueri et pervulgare principia ; operariam plebem simul ad officia virtutis et religionis excitare, simul afflictam erigere aptisque ad omnem calamitatem subsidiis providere ; vincula vere fraternitatis, aeque in actione vitae externa, inter vos colligare : ista in primis habetis vobis proposita, tamquam patentem campum, in quo professionem Instituti vestri et patriam caritatem probetis. Recte quidem et sancte. Nec laborantibus vobis deerunt certe quaesiti fructus, modo exempla inspicientes beatissimi Francisci eiusque fidentes ope, alacres, ut instituistis, pergatis. Nos autem coeptorum fautores semper vobis praebebimus : sit interea pignus

22 SEPT. 1894.

Studium laudatur sodalium Tertii Ordinis connitentium ut uberes Ordo fructus proferat.

Nativa vis Ordinis in causae socialis adjumentum potest varia ratione revocari.

Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, ceterisque omnibus largam a Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Septembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad J. Poletto.

DE DIVINO POEMATE ALIGHERII.

3 NOV. 1894.

FIDELEM dare operam divino poëmati Alighierii nostri illustrando, est nimirum aeque de religione ac de civitate bene mereri. Hoc namque insigni litterarum monumento magna sapientiae copia de divinis humanisque rebus continetur, nondum in lucem prolata omnis : cuius multiplices fructus nullo nec loco circumscribuntur nec tempore. Quarum Nos rerum iamdudum exploratâ praestantia, hoc fore cum munere Nostro et communi ornamento bonoque coniunctum censuimus, si eisdem pariter studiis favere contenderemus : re autem ipsa effecisse Nos aliquid et efficere, memoratu iucundum est. Nunc vero inter eos, quorum ingenia et sollertia valde Nobis in hoc probantur, etiam tibi, dilecte fili, peculiare laudis testimonium libet tribuere. Quam enim in te fiduciam habuimus collocatam, quum conditum a Nobis proprium huius generis magisterium tibi credidimus, eam ipse, docendo scribendoque, egregie sustines : id quod luculentius testantur quae nuper dicata accepimus tua eiusdem poëmatis commentaria. Quo de opere laborioso gaudeas tibi, praeclara conscientia fretus, te quidem et Alighierii gloriae pro virili parte consuluisse, et adiumenta optima studiosis eius parasse lectae variaeque doctrinae. Fruere igitur comprobatione et gratia hominum recte existimantium ; fruere benevolentia Nostra, quam tuus iste elaborandi ardor ampliorem in dies conciliat. Nostris autem coeptis atque expectationi obsecundare sedulo pergens, age ut ipsa summi viri mens et sententia suo in lumine eniteat ; eo quoque non mediocriter valitura, ut principiis institutisque christianis sua laus et cultus vindicetur. Neque enim temporibus vehementer afflictis curatio ulla, sicut oportet, profecerit, nisi christianae sapientiae revocata virtute, quae viget perennis ad salutem verique nominis humanitatem vel

Valde laudatur divinum poëma Alighierii.

Praeclaro huic operi illustrando multum Pontifex favit.

Gaudet ipse magisterium a se creditum Illo D. Poletto, optime impleri; magistrum laudat ob edita poëmatis commentaria,

eumque hortatur ut poëma, principiis institutisque christianis vindicandis opportunissimum, recte interpretari pergat.

gignendam in populis vel instaurandam. Iam te, dilecte fili, muneribus suis confirmet Deus et provehat : cuius voti sit auspex Apostolica benedictio, quam tibi atque tuis paterna caritate largimur.

Datum Romae aqud S. Petrum die III Novembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE DISCIPLINA ORIENTALIUM CONSERVANDA ET TUENDA.

30 NOV. 1894.

ORIENTALIUM dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam. Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit; quum beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, multiplicem erroris vitiique pravitatem disiecturus, lumen veritatis divinae, evangelium pacis, Christi libertatem in dominam gentium urbem caelesti numine intulit.— At Ecclesiis Orientalibus Romana potissimum, ecclesiarum omnium caput, sane quantum honoris et caritatis inde a memoria apostolica tribuere consuevit et quam fideli obsequio vicissim laetari: easdemque, per varia deinde atque acerba tempora, nequaquam ipsa destitit, providentia et benefactis, a iacturis erigere, devinctas retinere, revocare discordes. Neque ultimum illud fuit vigilantiae officium, ut proprias cuiusque orientalis gentis consuetudines sacrorumque rationes, quas pro potestate et sapientia sua legitimas edixisset, integras in eis perpetuo custodiret ac tueretur: cuius rei documento multa sunt quae Decessores Pontifices, cum primis Pius IX fel. rec., vel suis ipsi actis vel per sacrum Consilium christiano nomini propagando prudentissime censuerunt. — Non minore permoti Nos adductique studio, sub ipsa pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos peramanter convertimus. Maturavimus quidem conferre curas ad earum allevandas necessitates, alias-

Ecclesiae orientales omni jam laude floruerunt ipsis religionis christianae initiis, ac optime tunc de Urbe et Orbe meritae sunt.

Illas Ecclesia Romana semper magno honore et charitate complexa est,

ipsarumque consuetudines ac ritus custodiendos curavit atque tuendos.

Suas ipsius de Orientalibus curas Pontifex exponit;

que sumus deinceps occasiones nacti actuosae benevolentiae testandae : sed nihil profecto antiquius sanctiusque fuit neque est, quam animis cum Sede Apostolica obstrictis, adeo in eis ardorem excitare et fecunditatem fidei, ut ad maiorum excellentiam et laudem exemplis renovatis nitantur.

memorat a se vel erecta vel ampliata pro clericis collegia,

Iam licuit aliquot adiumenta Ecclesiis illis afferre. — Collegium hac ipsa in Urbe clericis Armeniis et Maronitis instituendis, itemque Philippopoli et Hadrianopoli pro Bulgaris, condidimus ; Athenis Leonianum condendum decrevimus ; etiam seminario sanctae Annae, quod Hierosolymae, cleri Graeci Melchitae educendi caussa,coeptum est,maiorem in modum favemus. In eo praeterea sumus ut Syrorum numerum in alumnis Collegii Urbaniani augeamus ; utque Athanasianum Graecorum ad pristinum restituamus institutum, quod Gregorius XIII, munificus auctor, sapienter voluit, unde viri extiterunt clarissimi. Plura vero in hoc similique genere experiri Nos atque efficere posse, eo nunc vehementiore voluntate exoptamus, postquam, aspirante Deo, consilium iamdiu meditatum perfecimus appellandi singulari epistola principes et populos universos ad felicem fidei divinae unitatem. Nempe inter christianas gentes calamitose divulsas, primo loco Orientales vocare, adhortari, obsecrare contendimus, quanta maxima potuimus apostolica et paterna caritate. Inchoatam spem quotidie magis foveri periucundum accidit Nobis, certumque est, opus tam salutare enixius insistere; ut, quidquid ex Apostolicae Sedis providentia expectari possit, admodum expleamus, quum submovendis simultatis vel suspicionis caussis, tum optimis quibusque reconciliationis praesidiis admovendis. — *Praestantissimum* id esse existimamus, ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus, animum curasque adiicere. Qua in re iam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eamdam condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit mo-

editasque litteras de instauranda Fidei unitate, in quibus quidem primo loco Orientales allocutus est.

Prospicere jam vult propriae ipsorum disciplinae omnino servandae,

quum tanti momenti sit conservatio

30 NOV. 1894.

menti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores ; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti *venerunt... adorare eum* (1). — Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant. Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit davidico: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,... in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus* (2).

rituum orientalium: horum quippe antiquitas Ecclesiae ornamento est, et affirmat Fidei unitatem.

Rituum varietas catholicitatem Ecclesiae illustrat.

Multum ritus ad rem dogmaticam conferunt.

Quoniam igitur haec rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probata varietas, praeter ceteras laudes, in tantum decus utilitatemque Ecclesiae convertitur, eo non minus pertineant muneris Nostri partes oportet, recte ut sit consultum, ne quid incommodi imprudenter obrepat ab occidentalibus Evangelii administris, quos ad eas gentes Christi caritas urgeat. — Rata quidem permanent quae in hoc Benedictus XIV, Decessor Noster illustris, sapienter provideque decrevit per Constitutionem *Demandatam*, in forma

Nullum afferatur Orientalium ritibus ab Occidentalibus detrimentum, ac rata permaneant quae hac de re Bened. XIV decrevit.

1. *Matth.*, II, 1-2. — 2. *Ps.*, XLIV.

epistolae, die datam XXIV decembris anno MDCCXLIII, ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum omnesque eiusdem ritus Episcopos eidem Patriarchae subiectos. Verum, aetatis decursu non brevi, novatis per ea loca rerum conditionibus, atque latinis Missionariis Institutisque ibidem multiplicatis, factum est ut peculiares quaedam Apostolicae Sedis curae in eadem caussa exposcerentur: quod certe peropportunum fore, crebra per hosce annos occasione Nosmetipsi cognoramus, et desideria aequissima confirmaverant Venerabilium Fratrum in Oriente Patriarcharum, non semel ad Nos delata. Quo autem totius negotii apertius pateret summa, aptioresque providendi rationes definirentur, eosdem Patriarchas haud ita pridem in Urbem advocare placuit, quibuscum communicaremus consilia. Tum eos, una cum nonnullis Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, coram ad deliberandum frequenti congressione habuimus. — Iis autem rebus omnibus, quae communiter propositae et agitatae sunt, meditate perpensis, induximus animum certa quaedam eiusdem Benedictinae Constitutionis praescripta, congruenter novis earum gentium temporibus, explicatiora facere et ampliora. In quo praestando, hoc tamquam principium ex ipsa deprompsimus, sacerdotes nempe latinos eo tantum consilio ab Apostolica Sede in illas regiones mitti, ut sint Patriarchis et Episcopis *in adiutorium et levamen;* cauto propterea *ne utendo facultatibus sibi concessis, eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant* (1): ex quo perspicuum extat quibus legibus officia eorumdem Latinorum ad Hierarchiam Orientalem sint temperanda.

Novatis vero rerum conditionibus in Oriente,

advocavit Pontifex inde Patriarchas; quibuscum re diligenter tractata, visum est ipsi ampliare quaedam Benedicti praescripta.

Legem statuit, ex Const. Bened. depromptam, qua temperanda sunt latinorum sacerdotum ad hierarchiam orientalem officia.

Itaque rerum capita quae sequuntur visa sunt in Domino praescribenda et sancienda, ut facimus, Apostolica fulti auctoritate; iam nunc declarantes velle Nos atque edicere ut eadem Benedictina decreta, quae de Graecis Melchitis primitus data sunt, fideles omnes cuiusvis in Oriente ritus universe attingant.

Decreta a Benedicto data de Graecis Melchitis, ad Orientales cujusvis ritus extendun-tur.

I. Missionarius quilibet latinus, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio

Varia statuuntur 1° de latino

1. Const. *Demandatam*, n. 13.

auxiliove inducat, praeter *suspensionem a divinis* quam *ipso facto* incurret, ceterasque poenas per eamdem Constitutionem *Demandatam* infliotas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio ut certa et firma consistat, exemplar eius patere vulgatum apud Latinorum ecclesias iubemus. 30 NOV. 1894. *sacerdote qui Orientalem quempiam ad ritum latinum inducit.*

II. Ubi desit proprii ritus sacerdos cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat Parochus alieni ritus qui easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferatur qui eas adhibeat ritu orientali. — Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritu, non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a Sacro Consilio christiano nomini propagando decretum est die XVIII augusti anno MDCCCXCIII, verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire: de quo Ordinarii esto iudicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare Parocho suo addictum. *2° De locis ubi desit sacerdos proprii ritus.*

III. Sodalitates Religiosorum latinae, quae iuventuti instituendae in Oriente dant operam, si quo in collegio alumnos ritu orientali non paucos numerent, sacerdotem eiusdem ritus, Patriarcha consulto, apud se habeant ipsorum commodo alumnorum, ad missae sacrificium, ad sacram synaxim, ad catechesim patria lingua impertiendam ritusque explicandos; aut saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis talem sacerdotem arcessant, ea officia praestiturum. Quam ob caussam eisdem Sodalitatibus quaevis privilegia, etiam speciali mentione digna, quibus gaudeant ut alumni orientalis ritus, quamdiu in collegiis ipsarum degant, latinum sequantur, adempta esse omnia edicimus: de ritualibus autem abstinentiis servandis moderatores cum religiosa aequitate videant. — Item alumnis externis prospiciatur: quos ad proprias ipsorum ecclesias seu curias remitti aut perduci oportebit, nisi videatur eos cum internis ad eiusdem ritus officia admittendos. *3 De juvenibus instituendis in sodalitatibus latinis Religiosorum*

IV. Eadem praescripta transferenda sunt, quoad fieri *4° et Reli-*

giosarum. possit, ad Religiosarum Sodalitates, puellis educandis in asceteriis scholisque deditas. Quod si qua immutatio per tempora et res opportuna inciderit, ea non ante fiat quam Patriarchae consensus accesserit et venia Apostolicae Sedis.

5° De erigendis domibus Religiosorum vel collegiis latini ritus. V. Nova, ritu latino, iuventutis collegia vel domus Religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica Sede rogata et consentiente.

6° De absolutione a casibus reservatis. VI. Presbyteris tum latinis tum orientalibus, neque in suis, neque in alieni ritus ecclesiis, fas est quemquam absolvere a casibus qui suis cuiusque Ordinariis sint reservati, nisi facultate ab eisdem permissa : qua in re quodvis privilegium, vel speciali mentione dignum, prorsus revocamus.

7° De Orientalibus a latino ritu ad orientalem redeuntibus. VII. Orientalibus qui ritum latinum, etiamsi ex pontificio rescripto, susceperint, revertere ad pristinum, Apostolica Sede exorata, licebit.

8° De sponsis diversi ritus. VIII. Mulieri latini ritus quae viro nupserit ritus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transeat: matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

9° De Orientalibus qui extra territorium patriarchale commorantur. IX. Quicumque orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus; ita ut, nihil diuturnitate aliâve caussa ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, simul ac in eius territorium revenerit.

10° De Orientalibus in ordinem religiosum latini ritus cooptandis. X. Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit.

11° De dissidentibus ad unitatem catholicam redeuntibus. XI. Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in eius tamen potestate sit ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero eiusmodi conditio non intercesserit, sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad

ritum suum, statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia.

30 NOV. 1894.

XII. Matrimoniales et ecclesiasticae, quaecumque sint caussae, de quibus ad Apostolicam Sedem appellatio fiat, nequaquam Delegatis Apostolicis definiendae, nisi aperte ea iusserit, committantur, sed ad sacrum Consilium christiano nomini propagando omnino deferantur.

12° De causis matrimonialibus et ecclesiasticis definiendis.

XIII. Patriarchae Graeco Melchitae iurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles eiusdem ritus qui intra fines Turcici Imperii versantur.

13° De jurisdictione Patriarchae graeci Melchitae.

Praeter istas peculiares cautiones atque ex iure praescripta, maxime Nos tenet cura, quod supra attigimus, ut condantur opportunioribus in Oriente locis seminaria, collegia, instituta omne genus, eaque prorsus ad iuvenes incolas ipso ritu patrio formandos in suorum auxilia. Hoc propositum, in quo dici vix potest quanta religioni inhaereat spes, studiose Nos aggredi, prolixisque subsidiis provehere, affluente, ut confidimus, catholicorum ope, deliberatum habemus. Sacerdotum indigenarum operam, quippe et convenientius impensam et cupidius acceptam, multo futuram quam advenarum fructuosiorem, paulo fusius est a Nobis monstratum in encyclicis litteris quas dedimus superiore anno de collegiis clericorum in Indiis Orientalibus constituendis. — Ita porro sacrae iuventutis institutioni semel consulto, profecto studiis rei theologicae et biblicae apud Orientales accrescet honos ; vigebit linguarum veterum eruditio aeque ac in recentibus sollertia ; doctrinae et litterarum census, quo Patres eorum scriptoresque abundant, in commune bonum, largius proficiet : eo demum peroptato exitu, ut sacerdotii catholici emergente doctrina integrique exempli laude praelucente, propensius eiusdem matris complexum fratres dissidentes requirant. Tum vero si ordines cleri animos, studia, actionem caritate vere fraterna sociaverint, certe, favente et ducente Deo, dies maturabitur auspicatissima, qua, occurrentibus omnibus *in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*, plene ex eo perfecteque *totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque*

Exoptat Pontifex ut seminaria condantur in Oriente, in quibus juvenes patrio formentur ritu, sacerdotio olim apud conciues functuri, magnoquidem animarum emolumento.

Multum seminaria conferent ad studiorum sacrorum incrementa,

necnon ad Fidei unitatem.

membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate (1). Ea nimirum gloriari unice potest Christi vera esse Ecclesia, in qua aptissime cohaereat *unum corpus et unus spiritus* (2).

Hortatur Pontifex Antistites ut curent haec decreta observanda;

Haec universa et singula, quaecumque sunt a Nobis decreta, minime dubium quin Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi quovis orientali ritu catholici, pro ea qua praestant tum in Cathedram Apostolicam et in Nos pietate, tum suarum sollicitudine Ecclesiarum, omni sint reverentia et obtemperatione suscepturi, idque sedulo effecturi ut eorumdem observantia, ab iis quorum interest, plena consequatur. — Copia vero fructuum, quos inde augurari licet et iure optimo expectare, valde ex opera eorum proveniet qui gerunt personam Nostram per Orientem christianum. Delegatis propterea Apostolicis commendatissimum volumus ut illarum gentium tradita a maioribus instituta honore debito vereantur : Patriarcharum auctoritatem quo par est obsequio colant, colendam curent ; atque in officiorum cum eis permutatione, consilium expleant Apostoli : *Honore invicem praevenientes* (3) : Episcopis, clero et populo studiosum ac benevolentem animum probent ; eumdem plane spiritum in se referentes, quo Ioannes Apostolus agebatur, quum Apocalypsim dedit *septem ecclesiis quae sunt in Asia*, inscripta salutatione : *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est* (4) : in omnique agendi ratione sese praestent eos, qui vere habeantur nuntii digni conciliatoresque sanctae unitatis inter Orientales Ecclesias et Romanam, quae centrum eiusdem est unitatis et caritatis. — Haec ipsa similiter sentiant, similiter peragant, hortatu iussuque Nostro, sacerdotes latini, quotquot in eisdem regionibus egregios labores obeunt ad sempiternam animorum salutem : religiose in obedientia Romani Pontificis laborantibus, tunc vero dabit Deus ampla incrementa.

delegatis vero suis proponit quo debeant Orientales honore et benevolentia prosequi, multum Sedis Apostolicae consiliis ita profuturi.

Eadem suadet latinis sacerdotibus in Oriente degentibus.

Praesentium litterarum

Igitur quaecumque his litteris decernimus, declaramus, sancimus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus ac mandamus, nec ea notari, in controversiam

1. *Ephes.*, IV, 13, 16. — 2. *Ib.*, 4. — 3. *Rom.*, XII, 10. — 4. *Apoc.*, I, 4.

vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata caussa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. — Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae praesentibus hisce Litteris haberetur ostensis.

30 NOV. 1894.

auctoritatem vindicat.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo quarto, pridie calendas Decembres, Pontificatus Nostri decimo septimo.

A. CARD. BIANCHI — C. CARD. DE RVGGIERO
PRO-DATARIVS

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CVGNONI

ELENCHUS DOCUMENTORUM.

Praefatio Editorum. 1

1. Allocutio *Grande est Notre joie*, 19 Sept. 1891. 3
2. Litteræ Encyclicæ *Octobri mense*, 22 Sept. 1891 7
3. Litteræ Apostol. *Singulari misericordiae sensu*, 1 Oct. 1891. 19
4. Epistola *In iis quibus premimur*, 24 Oct. 1891. 21
5. Litteræ Apostolicæ *Sapienter olim*, 30 Nov. 1891. 23
6. Allocutio *Non est opus*, 14 Dec. 1891 27
7. Allocutio *L'Augurio*, 23 Dec. 1891.... 31
8. Decretum *Consensus mutuus*, 15 Febr. 1892.... 34
9. Litteræ Encyclicæ *Au milieu des sollicitudes*, 16 Febr. 1892. 36
10. Allocutio *Onorare le ceneri*, 1 Mart. 1892... 52
11. Epistola *Valde quidem*, 20 Mart. 1892 54
12. Litteræ Apostolicae *Ad universas*, 27 Apr. 1892 56
13. Epistola *Notre consolation*, 3 Maii 1892... 66
14. Instructio *Amplitudo Tua*, 3 Maii 1892 73
15. Litteræ Apostolicæ *Quo magis*, 16 Maii 1892... 76
16. Epistola *Quae coniunctim*, 23 Maii 1892 78
17. Litteræ Apostolicæ *Neminem fugit*, 14 Jun. 1892 82
18. Litteræ Apostolicæ *Quum nuper*, 20 Jun. 1892.. 89
19. Epistola *Quo sint erga Nos*, 27 Jun. 1892... 96
20. Allocutio *Nonnihil allocuturi*, 11 Jul. 1892 98
21. Epistola *Quarto abeunte saeculo*, 16 Jul. 1892... 100
22. Litteræ Encyclicæ *Magnae Dei Matris*, 8 Sept. 1892 106
23. Epistola *Expectationem*, 31 Oct. 1892 117
24. Epistola *Inimica vis*, 8 Dec. 1892 .,. 120
25. Epistola *Custodi*, 8 Dec. 1892 124
26. Litteræ Apostolicae *Gravissime Nos*, 30 Dec. 1892 133
27. Epistola *Il divisamento di sancire*, 8 Febr. 1893 144
28. Litteræ Apostol. *Pastoralis muneris officio*, 17 Mart. 1893... 153
29. Epistola *Clara saepenumero*, 31 Maii 1893. 157
30. Allocutio *Apostolorum Principum*, 12 Jun. 1893 162
31. Litteræ Encyclicæ *Ad extremas Orientis oras*, 24 Jun. 1893. 165
32. Litteræ Apostolicæ *Summum semper*, 12 Jul. 1893. 170
33. Epistola *Gratae vehementer*, 3 Aug. 1893.. 174
34. Litteræ Encyclicæ *Constanti Hungarorum*, 2 Sept. 1893 ... 177
35. Litteræ Encyclicæ *Laetitiae sanctae*, 8 Sept. 1893... 186
36. Epistola *Exemplaria*, 13 Oct. 1893 194
37. Epistola *Non mediocri*, 25 Oct. 1893.. 195
38. Litteræ Encyclicæ *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893 ... 200

Pag.
39. Epistola *Quae a te*, 10 Dec. 1893. 226
40. Allocutio *Molti e segnalati*, 23 Dec. 1893.. 227
41. Allocutio *Sullo scorcio*, 28 Jan. 1894... 229
42. Litteræ Apostolicæ *Illud est proprium*, 29 Jan. 1894 232
43. Epistola *Non levis*, 26 Febr. 1894 235
44. Epistola *Susceptum a Nobis*, 7 Mart. 1894. 237
45. Epistola *Quod tuae Nobis*, 12 Mart. 1894... 241
46. Litteræ Encycl. *Caritatis providentiaeque*, 19 Mart. 1894 ... 243
47. Epistola *Nous avons accueilli*, 15 Apr. 1894 255
48. Allocutio *Grande è lo spettacolo*, 18 Apr. 1894.. 257
49. Epistola *Inter graves*, 1 Maii 1894 261
50. Epistola *Ante vestrum*, 1 Maii 1894... 267
51. Epistola *Quem vos*, 13 Jun. 1894. 270
52. Litteræ Apostolicæ *Praeclara*, 20 Jun. 1894 272
53. Epistola *Litteras a vobis*, 2 Jul. 1894.. 286
54. Litteræ Encyclicæ *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894 291
55. Epistola *Quae nuper*, 22 Sept. 1894... 299
56. Epistola *Fidelem*, 3 Nov. 1894... 301
57. Litteræ Apostolicæ *Orientalium*, 30 Nov. 1894 303

INDEX ANALYTICUS (1).

1. ALLOCUTIO ad Galliae opifices. — 19 Sept. 1891. pag. 3

Galliae opifices tertio jam Romae ad sedem apostolicam congregatos, gratumque promentes animum ob litteras encyclicas de conditione opificum nuper a se promulgatas Pontifex laudat, atque memorat se his litteris viam salutis monstrasse in praesenti rerum perturbatione ; non in solis legibus civilibus, sed in hoc praecipue salutem quaerendam esse affirmat ut justitiae amore atque charitate fraterna, mentes hominum imbuantur, Deoque obsequantur et Ecclesiae 4. — Salutiferam S. Sedis de opificum conditione doctrinam tum privatos tum principes attendisse gaudet Pontifex, ipsamque re exsequendam omnibus enixe commendat 5. — Opifices admonet Deum sacra ipsi die, pie colant, strenue laborent, dominis sint subditi, pravorum consuetudine abstineant qui socialistarum nomine pessumdant rempublicam, bonos vero sectentur, ipsorum salutis studiosissimos, liberos christianis moribus imbuendos curent 5-6. — Tenerrimum suum, Christi exemplo, animum promit Pontifex in humiles ac pauperes. Benedicit 6.

2. EPISTOLA ENCYCLICA de Rosario Mariali. — 22 Sept. 1891. ... ... pag. 7

Publicam Sacratissimi Rosarii recitationem,quam superioribus annis enixe Pontifex commendavit, hoc anno commendat instantius, ingravescentibus calamitatibus Ecclesiae, cui quidem labor pro veritate omni saeculo frequens fuit atque gloriosissimus 7. — Assiduo tamen certamine multas perire oves Pastor dolet, praesentisque temporis mala ex eo orta esse dicit quod societas civilis Ecclesiam nihil curat. Multum proin orandum pro Ecclesiae libertate et salute gentium 8. — Discrimen proponit viam inter saeculi et Ecclesiae : haec Deo, saeculum sibimetipsi in laborando confidit 8. — Potentissimam opem Dei implorare Christiani semper studuerunt, exorto praesertim Ecclesiae vel Summi Pastoris periculo. Petrum memorat e vinculis ab Angelo, orantibus Fidelibus, liberatum, exemplumque proponit Salvatoris prolixius in Gethsemani horto orantis 9. — Ad B. Mariam virginem per preces recurrendum suadet, siquidem Deus, omnes gratias nobis per illam concedit, infirmitati consulens nostrae, dum apud justum judicem advocatam nobis providit non minori pollentem gratia apud Ipsum, quam in genus humanum misericordia 9-10. — Ipsam Dei hominumque Matrem Apostoli, Ecclesiae Patres, indeque

1. Index materiarum alphabeticus sexto volumini subiicietur.

ab initio Fideles filiali affectu sunt prosecuti ; intima nimirum voce animae, fideique divinae impulsu ad Mariam rapimur 11. — Illos reprehendit Pontifex qui salutari huic cultui aliquid detrahunt 11. — Rosarii recitationem extollit, iis praesertim utilissimam qui mysteria, dum orant, meditantur 11-12.— Rosarii originem exponit ; Albigenses devictos,alia innumera mala propulsa, favores impetratos illa precatione memorat 12. — Rosarii usus ideo apud omnes invaluit quod in eo Fidei tessera et summa cultus B.M. Virgini debiti inesse videtur 13. — Si quando ab illa devotione relaxatum fuerat, mox, ingruente aliqua calamitate, Fideles ad illam recurrerunt, ut nostris temporibus videre est, magna cum fiducia eventuri Ecclesiae triumphi 13. — Sunt qui precibus jam diffidunt, ob perdurantia Ecclesiae mala. Studeant tales virtutibus ornare preces suas, animoque recogitent non esse nostrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate, certoque sciant semper exaudiri a Deo preces pro Ecclesia fusas, utpote precibus conjunctas ipsius Christi qui seipsum tradidit pro Ecclesia, et semper vivit ad interpellandum pro nobis 14. — Virtute orationis frangitur malorum impetus, mediaque tribulatione floret Ecclesia, ac finem attingit ad quem nata est, salutem animarum 14-15. — Orandum igitur perseveranter, summaque reverentia, ac ea bona in primis petenda, quae ad salutem animarum et Ecclesiae incolumitatem spectant, temporalia vero bona pro Dei nutu petantur 15. — Praeclaris orationis armis jungantur poenitentiae arma, utpote cum illis maxime congrua : etenim oratione ad Deum is facile attollitur qui poenitentia supra semetipsum et terrena omnia elevatus est 16. — Sanctorum preces poenitentia ipsorum multum valuisse, sacris fastis docemur : quorum exemplo mores nostros vitamque castigare debemus, ad expianda peccata tum propria, quod justitiae est, tum aliena, quod charitatis est summaeque perfectionis 16-17. — Sperat Pontifex Fideles, Pastoribus praeeuntibus, ad B. M. V. impense colendam incitatum iri praesenti epistola, atque fructus salutis, pacis, ac unitatis uberrimos, Rosarii recitatione, proventuros esse Ecclesiae 17.

3. LITTERAE APOSTOLICAE quibus S. Birgitta praecipua Sueciae patrona constituitur. — 1 Oct. 1891.... pag. 19

Dolet Pontifex Sueciae gentem, quondam catholica Fide insignem, in errorem prolapsam esse 19. — Pusillo in hac regione et carissimo gregi Fidelium consulens Pastor, ac precibus Vicarii apostolici obsecundans, Sanctam Birgittam Sueciae praecipuam Patronam constituit, praesentiumque litterarum vim atque firmitatem vindicat 19-20.

4. EPISTOLA ad Card. Langénieux, Archiep. Rhemensem, de peregrinationibus opificum Galliae ad Urbem. — 24 Oct. 1891. ... ... pag. 21

Permagno Pontificis solatio institutae sunt sex abhinc annos, Gallo-

rum opificum peregrinationes in Urbem 21. — Hoc anno frequentissimum agmen audacia impiorum lacessitum fuisse Pontifex dolet 21. — Gratias agit et laudes eminentissimo praesuli et iis omnibus qui has peregrinationes susceperunt promovendas,illosque adhortatur ut enixe incumbant opificum ordini excolendo et juvando, magno ipsius reipublicae emolumento 21-22.

5. LITTERAE APOSTOLICAE quibus collegium clericis Maroniticis instituendis in Urbe constituitur. — 30 Nov. 1891. ... ... pag. 23

Hospitalis domus a Gregorio XIII ad peregrinos Maronitas suscipiendos olim erecta, ab ipso mox conversa est in sedem collegii Maronitarum, per duo inde saecula celeberrimi, adversis autem temporibus ad alios translati 23-24. — Multo jam tempore collegium restaurare desiderat Pontifex, impulsus benignissimo in gentem fidei catholicae tenacissimam animo, precibusque obsecutus Patriarchae atqueantistitum Maronitarum 24.— Horum industriam in subsidiis comparandis adjuvare cupiens, sedem designabit in Urbe collegio aptissimam, plenoque jure ipsi in perpetuum attribuendam 24. — Suprema sua auctoritate Maronitarum collegium in Urbe restituit, leges definit quibus optime regatur, praesentiumque litterarum vim ac firmitatem vindicat 25-26.

6. ALLOCUTIO ad S.R.E. Cardinales.— 14 Dec. 1891. pag. 27

Dolet Pontifex sacrilegum cum Ecclesia certamen in dies ingravescere, dum alii ipsam propalam impugnant, alii per occultum 27. — Ad mentem revocat peregrinis in Urbem congressis illatas injurias, seseque ipsum conviciis ac minis publice fuisse lacessitum. Proponit hostes jam aperte niti ut Christi Vicario non magis quam privato cuilibet leges patrocinentur, imo ut pontificatus ipse vel vi adhibita, perimatur 27. — Alterum esse inimicorum genus ostendit praeferentium moderationem, dum occulte in eumdem finem tendunt. Hi enim dum sinunt illos in Ecclesiam grassari, Pontificem romanum producunt ut rebus italicis minaciter imminentem; Sedis apostolicae incolumitati verbotenus per leges consulunt; ejus autem divinae auctoritati omnimodo obsistunt. Vi legis liber patet Fidelibus ad summum Pastorem aditus,ast insolentia plebis praecluditur 27-28.— Causam increscentis recenti tempore hostium furoris non in eo inveniendam dicit quod inde ab initio Pontificatus vindicavit libertatem suam atque jura S. Sedis per quae vel augetur salus Italicae gentis ; sed in hoc esse positam quod superiore anno revelavit pravarum sectarum arcana earumque molimina in Religionem sacrilega et ipsi rei civili exitiosissima 28-29. — Quo de periculo regibus principibusque admonitis, Catholicos ad bonum certamen enixe adhortatur 29. — Duo novi Cardinales creantur 30.

7. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales solemnitate nativitatis Domini redeunte. — 23 Dec. 1891.... ... pag. 31

Maxime cordi Pontifici est, ut monita sua accipiantur et in actum deducantur ; item ut concordia in campo catholico servetur 31. — Hoc votum suum praecipue adimplendum sperat circa arduam quaestionem de opificum conditione, cujus solutionem jam in Epistola encyclica indicavit, sed et in animo habuit viam ad exsecutionem praeceptorum faciliorem praebere ; quem ad finem non parum contulissent peregrinationes operariorum nefarie interruptae 31-32. — Nihil habet respublica quod timeat ab his qui Christi Vicario obsequia deferant, illos timeat qui Ecclesiae adversentur 32. — Vox Pontificis semper sonat pacem, justitiam, charitatem ; etiam si propria jura expetit, in hoc ipso publico ordini favet 32. — Sed inimici nobilissima quaeque consilia ejus impugnant, si ex illis laus aliqua S. Sedi oritura videtur 32. — Quod factum est cum ageretur de tollenda servitute 32-33. — Libertatem servorum omnibus modis promovere non desiit Pontifex ; vincula quidem rumpere poterit potestas saecularis, libertatem autem filiorum Dei Ecclesia sola dabit, cujus tamen actionem quidam ex odio repudiare conati sunt 33. — Quidquid accidat, Pontificatus romanus officio non deerit suo 33.

8. DECRETUM quo conjugia praesumpta nulla esse in posterum jubetur. — 15 Febr. 1892. ... ... pag. 34

Conjugia praesumpta olim jus sanciebat 34. — Matrimonia clandestina irrita habenda Conc. Tridentinum jussit, et ideo jus illud priscum valere desiit ubicumque recepta fuit Tridentina lex 34. — Quum vero nostris temporibus canonica de conjugiis praesumptis disciplina passim fuerit oblivione deleta, abrogat Pontifex illud jus etiam in regionibus ubi lex Tridentina non viget, ac judices ecclesiasticos quoscumque vetat ullo casu sponsalia, conjugalem contractum habere, non vero vult necessitatem inducere formae Tridentinae ubique servandae 34-35.

9. LITTERAE ENCYCLICAE ad Episcopos et Fideles Galliae de civitatis regimine. — 16 Febr. 1892. ... pag. 36

Pro magna sua in Gallicam gentem benevolentia, vehementer dolet Pontifex eo adniti nefarios homines ut apud illam Fides catholica et mores christiani deleantur, magno cum ipsius rei civilis detrimento 36. — Solatium ipsi afferunt Gallici Fideles, sese devotissimos S. Sedi et summi Pastoris voci obsequentes exhibendo 36. — Ipsos ad Fidei necnon et patriae defensionem jam antea adhortatus, praesentibus litteris statuit non tantum Catholicos, sed et omnes Galliae probos atque cordatos cives enixius incitare ut extinctis dissensionibus politicis, eo tendant conjunctis viribus ut pax diu desiderata patriae tandem reddatur 37. — Sola religione vinculum societatis humanae creari, atque pax in natione servari potest 37. — Homines

in societatem, natura duce, conveniunt non tantum ad vitae commoditatem, sed praecipue ad moralem perfectionem obtinendam 37-38. — Perfectio vero moralis cum circa verum in intellectu et bonum in voluntate versetur, necessario ad Deum et religionem referenda est, siquidem Deus veritatis omnis et bonitatis fons est, mentisque et voluntatis humanae creator et conservator, religio vero in hoc versatur ut suam cum Deo rationem homo agnoscat animo et ore profiteatur 38. — Omnium igitur civium est religionis studium in civitate tueri ; quod quidem Catholici in Gallia eo magis praestare tenentur quod vera, quam in Ecclesia catholica profitentur, Christi religio caeteris efficacior est ad vitam tum publicam tum privatam recte instituendam, ut ex ipsa patet Gallicae gentis historia, eo scilicet majorem assecutae gloriam quo Fide magis vigeret, hodieque toto orbe celebris multiplicia ob charitatis opera et Fidem auro, labore, sanguine apud longinquas gentes ab ipsa propagatam 38-39. — Quotquot igitur sunt in Gallia Catholici, Fidem conjunctis viribus tueantur, ne forte gens pereat 39. — Refellit Pontifex eorum calumniam qui non religionis zelo, sed summi imperii cupidine, Catholicos dicunt ad Fidei certamen incitari 39-40.— Adversus ipsum JESUM a Judaeis excogitata est haec vetusta calumnia, aliaque id genus falsa crimina Fidelibus olim attributa fuerunt, quo factum est ut in hostium numero Christiani ab imperatoribus romanis haberentur 40. — Postero etiam tempore, mali principes, ut Ecclesiam, justitiae nomine, liberius opprimerent, illam arguere ausi sunt quasi civilem invaderet potestatem 41. — Nec aliis hodie armis Ecclesiae hostes utuntur : oportet et Christiani eamdem prae se ferant constantiam ac antiqui Fidei Defensores, Doctores, Martyres 41. — Concordia Catholicis opus est, qua fortiores ad pugnam Fidei evadant, nec alii alio sint animo in hodiernos reipublicae moderatores 41-42. — Varia fuerunt hoc saeculo Gallicae gentis regimina, nec ullum ex his aut rationi aut christianae doctrinae repugnat. Nulla enim civitatis forma displicet Ecclesiae in id semper intentae ut Fide et religione omnes gentes floreant 42. — Propriam vero suae civitatis formam, humana auctoritate definitam pro rerum convenientia atque opportunitate, omnes cives accipere debent, nec ulli licet ruinam principum, aut res novas moliri 42-43. — Principum imperium, utpote ex Deo ortum, Ecclesia semper tuita est, eo vel tempore quum ipsam principes persequebantur, praeclarisque verbis ad principum obsequium SS. Petrus et Paulus Fideles adhortati sunt 43.— Potest in omni gente status reipublicae novis imperiis mutari ; sola Christi Ecclesia immutabili gaudet regimine, quippe quod ab ipso Deo fuit in omne tempus definitum 44. — Ex magna rerum perturbatione, principibus imperio pulsis, in summumque discrimen civitate adducta, novum nonnunquam oritur reipublicae legitimum regimen 44. — Imperio ad alios principes sic translato, non immutatur ipsa civilis potestas, quae a Deo est, ideoque novis principibus

obsequium omnes praestare debent 45. — Sapienter ergo Ecclesia fecit, dum in societate perstitit cum variis nostro saeculo Galliae principibus ; neque aliter se gerant Gallici cives adversus hodiernos reipublicae moderatores 45. — Nec illud opponendum quod inique se gerant moderatores adversus Ecclesiam ; leges enim a principibus latae omnino differunt cum ipsorum imperio, possuntque sub quolibet imperio, justae constitui leges, necnon et injustae, quod historia testatur : pro legislatoris nempe animo, non vero pro ipsa civitatis forma, erunt leges vel bonae vel malae 45-46. — Nonnullae leges alieno a religione animo hisce temporibus in Gallia, haud salva re civili, sancitae fuerunt, de quibus tum ipse Pontifex tum Antistites Galliae conquesti sunt ; et quotquot Gallia honesto animo cives habet, hi omnes illis legibus, ne pessumdetur patria, obsistere conjunctis viribus debent. Non enim debito principibus obsequio illi cives desunt qui parere injustis legibus recusant : tales nempe leges non observandae, sed reprobandae sunt 46-47. — Praeclaris D. Augustini verbis haec doctrina illustratur 47. — Generis humani conscientiam edicentem quid Deo, quid principi debeatur, nunquam detestabilis atheorum doctrina evertere valebit; nullusque aequa mente homo Galliae Catholicos improbaturus est, dum Fidem tuendo, patriae simul consulunt saluti et gloriae 48. — Nonnulla tractat Pontifex de Concordato et de separatione reipublicae ab Ecclesia 48-49. — Judicium de Concordato Catholici S. Sedi relinquant ; separationem vero reipublicae ab Ecclesia ne propugnent : absurda enim est haec doctrina, quae, cum reipublicae sit civium jura tueri, ea ipsa jura eo destruit quod leges divinas, jurium omnium fontes, pro nihilo in civitate ducendas esse docet 49. — Quamvis illam doctrinam defendere nulli unquam liceat, potest tamen in certis regionibus separatio reipublicae ab Ecclesia tolerari 49; — non vero in Gallia, quippe quae catholica gens est. Eo vel minus talis separationis patrocinium Catholici in Gallia suscipere possunt, quod eorum qui ipsam sectantur, infensissimum Religioni animum optime noverunt 49-50. — His litteris tractata Pontifex colligit, et sperat illa multum profutura ad falsas opiniones repellendas, et Catholicorum animos inter se conciliandos 50. — Episcopos adhortatur ut pacem omni opera procurent ; reipublicae vero principes confidit a se dicta perpensuros, quae quidem ad salutem Galliae spectant 50-51.

10. ALLOCUTIO ad S.R.E. Cardinales. — 1 Mart. 1892. pag. 52

Pontifex jamdiu fovit consilium Innocentii III memoriam honorandi ; hoc autem, tempore episcopalis sui ministerii, adimplere sibi non datum est, sed nunc tanto dignius ad effectum perducere potuit, quanto Ecclesia Cathedralis Romana Perusinae praestat 52. — Monumentum in basilica Lateranensi exstructum ad mentem reducit illa duo consilia magni istius Pontificis : redemptionem Terrae Sanctae

et libertatem Ecclesiae procurandam ; 52 — hoc ultimum non minoris momenti nec laboris nunc est quam tempore medii aevi ; tunc enim, quamvis adessent vitia, religio regebat animos, auctoritasque Ecclesiae toti corpori sociali praesidebat ; nunc autem, non jam cupiditas vel infrunitae passiones, sed odium nominis christiani excitat adversarios Ecclesiae et Pontificis 52-53. — Fidei antiquae reditus exoptandus esset ; semper tamen Ecclesia occultam virtutem possidet qua inexpugnabilis est 53. — Pontifex S. Collegii votis vota rependit 53.

11. **EPISTOLA ad Card. Galeati, Archiep. Ravennatensem, de monumento ponendo Danti Alligherio. — 20 Martii 1892.** ... ... pag. 54

Probatur a Pontifice consilium ponendi monumentum Danti Alighierio, qui licet ira et studiis partium identidem abreptus fuerit, numquam tamen a veritate christianae sapientiae se avertit 54.— Poeta celebratur ingenio Fideque sublimis 54. — Pecuniam in monumentum conferendam et exemplar divini Poematis dono mittit Pontifex 54.

12. **LITTERAE APOSTOLICAE de erectione novarum dioecesium in Brasiliae regionibus. — 27 Aprilis 1892.** pag. 56

Apostolica Sedes in votis jamdudum habuit novas in Brasiliae regionibus Episcopales Sedes constituere, civilemque potestatem hac de re saepius per Legatos monuit 56. — Tres novae diœceses a Pio IX jam erectae fuerunt 56. — Brasiliensium Episcoporum votis annuens Pontifex, quatuor novas Dioeceses erigendas, novamque ecclesiasticam provinciam constituendam censuit 56-57. — Duas constituit Pontifex ecclesiasticas provincias; in Brasiliae Septentrionalis provincia Metropolitam constituit, eique quinque Sedes jam existentes et duas novas in suffraganeas subjicit 57. — Novae dioecesi Amazonum territorium, a dioecesi Belemensi disjunctum, adjudicatur, ejusque Cathedra fundatur 57-58.— Fines dioecesis statuuntur 58.— Novae dioecesi Paraybensi territorium a dioecesi Pernabucensi distractum, attribuitur, Cathedra fundatur, et limites praefiniuntur 58. — Australis provinciae Sedes Metropolitana designatur 58-59.—Metropolitanae Ecclesiae territorium statuitur, et septem Ecclesiae Episcopales in suffraganeas dantur, inter quas duae novae Sedes sunt, altera Nictheroyensis, cujus territorium definitur, et Cathedra fundatur ; altera vero, Curitybensis de Parana, quae simili modo constituitur, et limitatur 59-60.— Dioeceses de quibus hic nulla fit mentio, in eodem statu nunc permanent 60. — Noviter erectae Cathedrales Ecclesiae iisdem ac antiquae juribus gaudent, earumque Pastores omnia Episcoporum jura obtinebunt 60. — De conditione Fidelium novarum Dioecesium, de eorum bonis, ac omnibus documentis quae ipsos respiciunt, Pontifex statuit 60. — De dote vero nihil constituit, certo confidens Brasilianum populum auxilio fore novis Episcopis 60-61. — In unaquaque dioecesi erigatur, cum primum fieri potest, Seminarium juxta Tridentinae Synodi praescripta 61. — Seminarii rectores et professores ad Episcopi nutum

ptores qui philosophiam laedunt 220. — Multi historiae similiumque disciplinarum documenta Scripturae opponunt haud aequo judicio 220. — Fieri potest ut quaedam minus recte in transcribendis codicibus exciderint librario, aut loci cujusdam sensus ambiguus permaneat: at nefas dicere aliquas tantum Scripturae partes esse inspiratas, aut errasse auctorem 220-221. — In totam Scripturam divina extenditur inspiratio quae omnem excludit errorem. Haec fides Ecclesiae est, saepius definita 221. — Vera notio inspirationis Scripturae proponitur, illustrata verbis S. Aug. et S. Gregorii, quae quidem nullum sinit in Scriptura esse errorem 221-222. — Hanc suam fuisse doctrinam Patres et Doctores factis ostenderunt, ipsamque aperte profitetur S. Aug. ad S. Hier. scribens 222. — Theologis se jungant Scripturae defensores Catholici externarum doctrinarum periti, magno rei biblicae emolumento 222-223. — Suum quisque ex peritis eligat studii genus quo possit ab impiis vindicare Scripturam 223. — Fidelium conferantur pecuniae in studia doctiorum virorum promovenda 223. — Insistant eruditi principiis supra praefinitis ut rei biblicae rite inservire valeant 223-224. — Ipsis inculcat Pontifex quomodo se gerere debeant in dissentionibus Scripturam inter et scientias exortis 224. — Multa olim contra Scripturam jactata, jam reperta sunt inania; quosdam etiam Script. locos rectius interpretes recentiores indagaverunt 224. — Nemo omnem intelligit Scripturam: quae explicari non possunt, humili mente credantur 224. — Viam quam Pontifex monstravit, sequantur scientiarum periti viri, ut optime de re catholica mereantur 224. — Curent Episcopi servanda quae Pontifex monuit 224-225. — Clerus sacris Litteris studeat summo reverentiae et pietatis affectu 225.

39. EPISTOLA ad Card. Langénieux Archiep. Rhemensem de conventu Euchar. Hierosolymitano. — 10 Dec. 1893 ... ... pag. 226

Gratissimae Pontifici fuere res gestae in conventu Eucharistico, praeside Eminentissimo viro de re catholica in Oriente optime merito. Uberrimos fore fructus laudati conventus Pontifex sperat. Suam sollicitudinem testatur erga ecclesias in Oriente, et benedicit 226.

40. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales. — 23 Dec. 1893. pag. 227

Grato animo recolit Pontifex beneficia sibi a Deo concessa 227. — Nihil habet antiquius quam ut pacem toti mundo conciliet. Sacerdotii christiani officium sic implens 227. — Pax in individuis non secus ac in gentibus filia est justitiae quae ex fide vivit 227. — Perturbationes nostrae aetatis ex eo praecipue ortae sunt quod in hominum mentibus Fides defervuerit. Pax frustra quaeritur, cum Pacis negligatur auctor 228. — Spes fovenda novi religionis incrementi; Spiritus enim Dei vivificans, Ecclesiae semper adest 228. — Carismata coelestia Sacro Collegio exoptat Pontifex et benedicit 228.

41. ALLOCUTIO ad curiones et fideles Urbis. — 28 Jan. 1894. pag. 229

Pontifex, Episcopus Romanus, sacerdotes laudat cooperatores suos, ob eorum in obeundo sacro munere studium ; ipsorumque mercedem in coelo copiosam ominatur 229. — Laudat Fideles una cum pastoribus obsequium S. Sedi praestantes 229. — Paterno affectu dolet populum romanum tot nunc deprimi malis post diuturnam prosperitatem 230. — Utinam illius calamitatis causas quaenam sint omnes intelligant, confugiantque ad Religionem et summum Pastorem animarum 230. — Memorat Pontifex a se erectam S. Familiae consociationem, ut per eam Religionis sensu populi imbuantur 230. — Sodales adstantes ad legum consociationis custodiam hortatur 231.

42. LITTERAE APOSTOLICAE de Canonicis honorariis. — 29 Jan. 1894. ... ... pag. 232

Saepe visa sunt optime instituta in deterius, decursu temporis, abire 232. — Canonicorum collegia in quem finem exorta sint Pontifex exponit. Ipsius nominis vim expendit, et Canonicorum varia munera recolit 232. — Nostris temporibus multi autumantes Canonicorum dignitati nullum onus esse adjunctum, eamque omittentes, quae sacerdotem decet humilitatem, student illo titulo apud Antistites externos nullo suo merito augeri 232-233. — Talis honor eis qui digni sint, reservandus 233. — Hac de re antea per S. Congr. Concilii monita Pontifex dedit ; jam vero gravius illos abusus conquestis Episcopis, statuit suprema sua auctoritate : 1° quid servandum sit ab Episcopo, sacerdotem alienae dioeceseos canonicum nominaturo ; 2° Quot eligi possint ex aliena dioecesi ; 3° Quibus in locis, insignibus uti eis liceat. Decernit 4° haec servanda etiam a Canonicis jam nominatis. Praesentium litterarum vim asserit 233-234.

43. EPISTOLA ad Episcopum Leodiensem de opificibus sollicitum. — 26 Febr. 1894... ... ... pag. 235

Testatur Pontifex valde opportunas fuisse Litteras ab Episcopo datas ad extinguenda dissidia circa opificum conditionem orta 235. — Praesulem laudat, ovesque ipsi creditas Pastori suo obsecuturas confidit 235. — Illum adhortatur ut S. Sedis documenta Fidelibus inculcare pergat 235-236.

44. EPISTOLA ad Card. Goossens, Arch. Mechlinien-sem de instituto philos. Lovaniensi. — 7 Martii 1894. pag. 237

Gaudet Pontifex conditum esse Lovanii institutum philosophicum, antea jam a se comprobatum 237. — Multum laudis ex eo Universitati accedet, cum philosophia christiana sacrae doctrinae adjutrix, ac ceteris, moderatrix assideat 237. — Recte valent philosophari qui in Scholasticorum disciplina diu multumque sint versati 237. — Generosa

Belgarum gens, Episcopi, et Ill. D. Mercier laudantur de condito instituto optime meriti 237-238. — Recte in nova schola praescriptum est ut S. Th. doctrina in ceteras etiam influat disciplinas, auctis in hunc finem magisteriis 238. — Opportune Seminarium Instituto fuit adjunctum 238. — Consulens praeclari operis incremento, statuit Pontifex Instituti cum Universitate rationem 238-239. — Magistri Instituti suos etiam seorsum coetus habeant 239. — Conceditur potestas alumnos ad philosophiae gradus promovendi 239. — Leges Instituti a S. Sede sunt confirmandae 239. — Commendat Pontifex concordiam servandam Universitatem inter et Institutum ; de hujus vero prosperitate multa auguratur. Benedicit 239-240.

45. EPISTOLA ad Georgium de Hersling de principiis in christiana arte servandis. — 12 Martii 1894. ... pag. 241

Opportunam ducit Pontifex erectam societatem artis christianae, cum saepe depraventur optimae artes ab his qui naturam nimia cum licentia imitantur 241. — Artis autem christianae munus est famulari Deo : ideo ad bonum homines alliciat oportet sicut ars antiqua christiana 241. — Quem finem si artes prosequantur, in ipsarum incrementum id cedet 241. — Tales cum sint doctrinae praelaudatae societatis, eam religioni ac artibus profuturam confidit Pontifex, et benedicit 241-242.

46. EPISTOLA ENCYCLICA ad Episcopos Polonos de rebus ecclesiasticis Poloniae. — 19 Martii 1894 ... ... pag. 243

Jamdiu exoptavit Pontifex has dare litteras in testimonium caritatis erga Polonam gentem quam ob debellatos christiani nominis hostes fideliterque custoditam catholicam Fidem summa laude celebrat 243. — Intendit hisce litteris suam in Polonos sollicitudinem apertius testari, illosque roborare in catholicae professionis officiis 243-244. — Consueta Episcoporum sollertia spem auget uberes ex his monitis fructus percipiendi 244. — I Pars ad universam gentem Polonam spectat. 1° Monita de societate politica. Omnium beneficiorum maximum est Christi religio, felicitatem praesentis vitae et futurae simul conferens 244. — Tanto beneficio gratas se gentes exhibeant religionem colendo ea quidem ratione quam ipse Deus definivit 244. — Sic se Poloni jamdudum gesserunt, maximo suae gentis emolumento 244. — Multum interest gentium ut Ecclesia legem Evangelii ipsis inculcet 245.— Suam auctoritatem Ecclesia extra limites adeo non extendit, ut potius de jure suo saepe remittat. Injuste ergo talia calumniantur Ecclesiae hostes 245 : — nec ii minus reprehendendi qui ipsam apud principes in suspicionem vocant. Consulit enim Ecclesia principibus, boni reiminis leges eis inculcando ; consulit subditis, eos docendo reverentiam et fidem principibus debitam 245-246. — Floret civitas ad doctrinam

Evangelii informata ; in perniciem vero ruit, recusato Ecclesiae ductu 246. — Concludens Pontifex sua de societate civili monita, commendat nefarios homines vitandos, bonorum civium officia implenda, praestandamque fidem principibus ob fidem Deo debitam 246. — 2° De societate domestica jam tractans, exponit sacra conjugum officia, et curam quam parentes liberorum institutioni impendere debent 246-247. — Caveatur a scholis religioni christianae adversantibus, aut ipsam nihil curantibus 247. — Ad humanas litteras pariterque ad divinarum rerum cognitionem informandi sunt pueri et juvenes 247. — Optimo jure Ecclesia cautiones sibi vindicat de sacra institutione in scholis tradenda 247. — Doctrina sacra pueri in ecclesiis praecipue imbuantur 247. — 3° De ordine clericali. Ut muneri suo par sit clerus, excellat doctrina et sanctitate 247-248. — Clerus adolescens ideo in Seminariis, nostro praesertim tempore, oportet maxima cura informetur ad scientiam et virtutem 248. — Magistri rationem studiorum teneant a S. Sede praescriptam 248. — Disciplinae moderatores satagant alumnos virtutibus imbuere quae sacerdotem decent ; eosque doceant prudentiam in iis attingendis quae civilis sint potestatis 248. — Clero autem qui jam ministerio sacro fungitur, praebeatur quo vacare possit studio doctrinae et propriae perfectionis 248-249. — 4° De caritate inter omnes ordines servanda. Solum caritatis vinculum firmat familias ac civitates, meritaque confert christianae dignitatis 249. — Memorat Pontifex praecepta caritatis jam a se tradita in litteris de conditione opificum, iterumque commendat promovenda instituta catholica, sodalitia artificum et mutuo opitulantium consociationes 249. — II Pars ad singulas partes Poloniae respiciens. 1° Polonos qui Russico imperio parent, laudat Pontifex ob constantiam in fide, et adhortatur ad perseverantiam 249-250. — Suam sollicitudinem ipsis nunquam defuisse nec defuturam testatur 250. — Recolit pacta cum Consilio Imperiali inita, atque ad ipsum Imperatorem postea delata 250-251. — Episcopi pergant Ecclesiae jura libertatemque tueri ; curent ne ulla detur a Catholicis offensio potestati civili, nec desistant omnibus modis promovere salutem Fidelium et cultum divinum 251. — Si quaedam discrimina instare videantur, appellandae sunt conventiones cum S. Sede initae 251-252. — 2° Illos qui ad Austriacam ditionem pertinent hortatur ut Imperatori praestent debita obsequia, et religionis incolumitatem prosequantur 252. — Universitas Cracoviensis vetustam laudem tueatur 252. — Ordines religiosorum, civitati non minus quam Ecclesiae utiles, et nominatim Basilianum ordinem, Pontifex commendat 252-253. — Cum Ruthenis fraterna concordia fovenda, unius enim Ecclesiae filii sunt, nec minus quam ceteri ab ea dilecti 253. — 3° Illis qui Germaniae imperio subsunt, gratulatur Pontifex de obedientia et amore novo antistiti Gnesnensi praestitis 253. — Imperatorem laudat in Polonos benevolentissimum 253. — Haec monita a Pastoribus

inculcanda sunt populo ut, iis servatis, catholica fides integra permaneat et magis floreat 253-254. — Divinum auxilium imploratur, intercedentibus B. Maria, S. Josepho, et Poloniae Patronis 254.

47. EPISTOLA ad Card. Richard, Archiep. Parisiensem de ecclesia in Monte Martyrum, — 15 Aprilis 1894. pag. 255

Gaudet Pontifex in templo SS. Cordis ad Montem Martyrum, brevi jam perficiendo, uberrimos edi pietatis fructus, magna quidem spe salutis Galliae 255. — Mons ille sanguine Martyrum perfusus, christianos docebit Fidei pretium. Huc certatim Galli conveniant, preces fusuri ex corde virtutibus christianis insigni 255-256. — Prae sua erga Galliam sollicitudine, non potest Pontifex quin et istud opus paterna benevolentia prosequatur. Subsidium 25,000 librarum aliudque donum tribuit 256.

48. ALLOCUTIO ad Hispanos. — 18 Aprilis 1894. pag. 257

Testatur Pontifex Hispanos prae caeteris gentibus devotos Sanctae Sedi sese exhibere, dum Romae tanta frequentia sunt congregati 257. — Gentem laudat Fidei integritate, sanctitatis splendore atque doctrinae, multisque Conciliis inclitam 257-258. — Illam dolet multa praesenti saeculo detrimenta accepisse, perturbata scilicet re politica et sociali, illorumque malorum remedium ostendit religionem Christi 258. — Gaudet Hispanos, ex omni societatis ordine ante se congregatos, sic obsequi praeceptis charitatis quae nuperrime gentibus inculcavit 258-59. — Memorat pro Hispanis collegium a se in Urbe conditum 259. — Ut optatos fructus proferat S. Sedis sollicitudo, inculcat Catholicis concordiam inter se servandam, et obedientiam auctoritati civili exhibendam 259. — Hispanorum reginae benedicit atque ejus filio, Episcopis, clero et populo 259-260.

49. EPISTOLA ad Episcopos Peruvienses de rebus ecclesiasticis in Peruvia. — 1 Maii 1894. ... ... pag. 261

Gratissimae fuere Pontifici Episcoporum litterae de conventu ab ipsis in Limensi urbe peracto 261. — Exoptat ut frequenter tales agantur coetus rei religiosae perutiles 261. — Sequentia monet, ad incrementum catholici nominis, in coetibus attendenda : 1° Agant in ipsis Episcopi de morum disciplina servanda, necnon de doctrinae studio acuendo in alumnis ordinis sacri. Doctorum enim scientiam constituit Deus firmum veritatis praesidium 261-262. — Nostra praesertim aetate opus est quam maxime ut scientiarum armis instructi sint defensores Fidei 262. — Servetur in Seminariis studiorum ratio a Pontifice olim praescripta : maximus nempe habeatur honor philosophiae D. Thomae ; tradantur scientiae physicae, quum iis potissimum impii abutantur. Custodiantur quae de biblicis studiis Pontifex edixit 262-263. — 2° Optimos deligant Episcopi curiones paroeciis praeficiendos, quippe quorum gravissimum sanctissimumque munus est, iis quidem

solis demandandum, quos Jesu amor incendit animarumque studium 263-264. — 3° Curent Episcopi ut ad Christi lumen adducantur qui sedent adhuc in tenebris. Statuit enim Deus homines assumere gratiae suae ministros in salutem animarum 264-265. — Multiplicandae igitur apud Indos expeditiones sacrae 265. — 4° Ephemeridibus perversis bonae opponantur. Sint scriptores scientia et virtute praediti, suorum officiorum memores, atque Episcoporum ductui consiliisque obsequentes 265. — Quae ut prospere succedant, implorat Pontifex coeleste praesidium 265-266.

50. EPISTOLA ad Card. Schönborn, Archiepisc. Pragensem de adolescentium institutione in scholis publicis. — 1 Maii 1894. pag. 267

Acceptis ab Austriae Episcopis litteris post peractum coetum Vindobonensem, laudat ipsos Pontifex S. Sedis documentis fideliter obsecutos 267. — Deo refert acceptam in provecta aetate integram valetudinem, per quam sibi liceat arduum implere munus regendi Ecclesiam ; quod quidem sperat et reliqua vita se impleturum, conspirantibus secum Episcopis 267-268. — De adolescentibus in scholis publicis rite instituendis sollicitus, gaudet Pontifex de iis quae a studiorum moderatore ea de re sunt edicta 268. — Iis refutatis qui dissidium necessario esse contendunt civilem inter auctoritatem et Ecclesiam, exponit utramque mutuo deberi foedere conjungi, in instituenda praesertim juventute ; illudque foedus sperat perfectum iri in Austria. Benedicit 268-269.

51. EPISTOLA ad curatores templi Franciscalis Bononiensis de hujus instauratione. — 13 Junii 1894. pag. 270

Gaudet Pontifex instauratum fuisse sepulcrum Alex. V in S. Franc. Assisiensis templo, atque hoc ipsum cultui restitui divino et formae pristinae 270. — Laudem proponit artis christianae 270. — Curatores hortatur ut in opere perficiendo, consilio utantur Archiepiscopi, eosque sperat executuros propositum in templo dedicandae votivae arae pro pace christiani populi 270-271.

52. EPISTOLA APOSTOLICA principibus populisque universis. — 20 Junii 1894. ... ... pag. 272

Laeto animo recolit Pontifex quae ob memoriam primordiorum episcopatus sui accepit gratulationis publicae testimonia. Catholicorum cor unum esse in S. Sedis obsequio eo magis gavisus est quod studuit semper universos secum colligare populos. Gratum testatur animum ob pietatem et obsequia sibi exhibita 272 : — laetitia tamen minor fuit consideranti hominum ingentem multitudinem aut expertium omnino evangelicae sapientiae, aut dissidentium a catholica Fide 272-273. Omnes homines cum velit Deus salvos fieri, Pontifex exemplum imitatus Christi ut omnes unum sint Patrem rogantis, statuit ad Fidei

unitatem omnes incitare gentes 273. — I Pars : Gentium cohortatio ad Fidei unitatem. In primis exoptat Pontifex ut populi, Evangelicae veritatis expertes, sacrosancto Jesu illustrentur nomine. Ecclesiae hac in re labores exponit, et Jesum deprecatur ut ad seipsum omnia trahat 273-274. — Alias vero gentes, veritatis olim perfusas lumine, dolet de sinu Ecclesiae fuisse postea abstractas, Deoque confisus, hortatur eas ut ad unitatem redeant 274. — Orientales Ecclesiae non ingenti ab Ecclesia romana sejunguntur discrimine 274-275. — Primatum romani Pontificis, Christi verbis promulgatum, ipsi olim Orientales professi sunt, ex iisque non pauci in Pontificum numerum fuerunt adscripti 275. — Omnes quondam orientales pariter atque occidentales Ecclesias romano paruisse Pontifici, ex ipsa probatur historia exorti dissidii 275. — In Conciliis Lugd. II et Flor., Graeci cum Latinis de hoc dogmate consensere 275. — Spe gaudens Pontifex futurae unitatis, dissidentibus proponit Bessarionis verba, Orientalibus concordiae praeceptum inculcantis 275-276. — Nonnisi caritate divina movetur Pontifex ad suadendam conjunctionem : quae quidem plena sit oportet, in Fidei et regiminis unitate consistens 276. — Nullo inde Ecclesiae orientales jure minuentur, ast magna crescent dignitate 276. — Ipsius liturgiae orientalis preces pro unitate fidei, Deus exaudiat ! 276-277. — Supra dicta Pontifex paucis verbis contrahit 277. — Slavi nominatim compellantur, a SS. Cyrillo et Methodio ad catholicam Fidem olim aggregati, postea vero a professione romana delapsi 277. — Populi ab Ecclesia recentiori tempore sejuncti, eo jam devenere erroris ut nulla supersit certa fidei formula, impugneturque a multis ipsa Christi divinitas, et auctoritas S. Scripturae 277-278. — In tanta sua sententiarum discordia sectae praedicant, at frustra, caritatis conjunctionem, quae quidem inter eos tantum consistere potest quos fides fecerit mente concordes 278. — Complures inter dissidentes, ex illa sectarum diversitate intellexere Ecclesiam romanam solam verae Ecclesiae speciem prae se ferre,illamque ideo multi ex ipsis propugnaverunt scriptis egregiis 278. — Horum exemplum ut imitentur ceteri orat enixe Pontifex 278-279. — Catholici caveant, jam unitatis compotes, ne tantum Dei beneficium corrumpant ; monitis S. Sedis atque Ecclesiae magisterio obsequantur libenter 279 ; — rectam teneant Ecclesiae notionem quae societas perfecta est, finem habens salutem animarum, mediisque divinitus instructa ad hunc finem attingendum necessariis 279. — Libera igitur sit Ecclesia in omnibus quae sunt sui juris oportet ; qua quidem libertate nonnisi in salutem utitur animarum 279-280. — Dejure suo saepius ipsa cedit,nedum ad se quicquam rapiat de jure imperii : vicissim vereatur oportet imperium jura Ecclesiae. Haec vero omnimode opprimitur nostra aetate, magno cum civitatum detrimento 280. — Vult Deus distinctas permanere civilem et sacram potestatem,vetat esse sejunctas,ipsumque societatis humanae

bonum postulat utriusque potestatis concordiam 280-281. — Magnum unitati discrimen impendet a secta massonica, quae audacter jam per totum orbem grassatur, nomen Christianum omni modo impugnans, humanae simul et divinae adversans potestati, soliusque naturae cultui addicta 281.—Cavendum omnino ab impia secta. Nefaria ipsius consilia Deus prohibeat, jugumque indignissimum excutiat christianus populus 281-282. — II Pars : De bonis, ex Fidei unitate orituris. Ecclesiae tunc debitus redderetur honor, ministeriique libertas, qua multum posset ad salutem conferre civitatum 282. — Gentium fieret conjunctio, nostro tempore maxime desideranda, cum tot ex apparatu bellico mala proveniant 282. — Pacem inter se veram gentes non possunt adipisci nisi Jesu Christi beneficio 282-283. — Non tantum foris, sed et domi pacem firmaret unitas Fidei, quippe quae causae *sociali* necnon *politicae* dirimendae opportunissima est 283.— De *sociali* causa actum est in litt. encycl. de conditione opificum.— In re *politica* docet Ecclesia principes recte gerere potestatem ipsis a Deo commissam : subditis vero inculcat debitum obsequium principi, Dei personam agenti 283. — Ecclesia optima conciliatrix est concordiae principum ac populorum 283. — Laete considerat Pontifex quot ex restituta Fidei unitate proventura essent bona vel ipsis incultis gentibus : veritatis siquidem humanitatisque lumen, quominus ad remotos diffunderetur populos, impedivit non minima ex parte discordia saeculo XVI orta 283-284. — Restituendae concordiae, ac veritati late propagandae, opportunissima advenere tempora 284-285. — Spem omnem felicis rei exitus, in Jesu reponit Pontifex, Principesque rogat ut haec perpendant monita 285. — Memorata superioris saeculi perturbatione, exoptat ut praesens ad finem deveniat aetas inter concordiae initia, opitulante Deo 285.

53. EPISTOLA ad Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae de augenda re christiana in Brasilia. — 2 Julii 1894.

pag. 286

Amplificata a Pontifice hierarchia in Brasilia, jam licet Pastoribus vigilantius gregi et clero prospicere 286. — Aucto Episcoporum numero, adhibeantur a singulis remedia malis tollendis opportuna 286. — Ad scientiam informentur homines sacri ordinis, sintque morum sanctitate conspicui, ut verbo traditam doctrinam exemplo confirment 286-287. — Qui paroeciis praesunt, suum officium diligentissime impleant, Superiorum ductu 287. — Maxima sit cura Episcopis de Seminariis, in quibus magistri scientiarum atque pietatis assumantur optimi 287-288. — In dioecesibus ubi nulla adhuc Seminaria existunt, curent Antistites ut ea quamprimum constituantur 288. — Romam mittantur egregiae spei adolescentes in collegio clericorum Americae meridionalis instituendi 288. — Instaurandae observantiae studio decrevit Pontifex ut Religiosorum indigenorum domus auctoritati subessent Episcoporum : strenue jam hi munus suum in re tam utili impleant 288-289.

— Laudantur Religiosae familiae mandatis S. Sedis obsequentes 289. — Non minor de Fidelibus quam de clero sit Episcopis cura. Doceantur pueri rudesque homines religionis elementa ; scholae puerorum condantur ; societates christianae a laicis constituantur, iis consociationibus opponendae quae Ecclesiae necnon civitati adversantur 289. — Ephemerides perversas Catholici scriptis suis impugnent, Episcoporum ductu 289. — Iis tantum Catholicorum suffragia faveant, qui religionis simul ac reipublicae studium prae se ferant 289-290. — Concordiae fovendae gratia, saepius iterentur episcopales conventus 290. — Benevolentissimum Episcopis animum testatur Pontifex, eisque benedicit 290.

54. EPISTOLA ENCYCLICA de Rosario Mariali. — 8 Sept. 1894. ... ... pag. 291

Gaudet Pontifex Octobrem mensem Rosarii florere cultu, cujus quidem virtutem nunquam non sensit christianus populus 291. — Ad ipsum in dies augendum Pontifex his litteris exponit per hanc precem erigi nostram impetrandi fiduciam, et B. M. Virginis in genus humanum commoveri miserationem 291-292. — Pars prior. Mariam ideo invocamus, quod novimus eam gratiæ divinæ esse conciliatricem. Hoc vero omnino patet expressum in Rosario, quum eximias partes quas egit Virgo ad salutem hominum procurandam, singula exponant mysteria *Gaudii*, *Doloris*, atque *Gloriae* 292-293. — Preces vero vocales eo disponuntur ordine et numero, talibusque sunt B. M. Virginis titulis insignes, ut ipsam egregie praedicent conciliatricem divinae gratiae 293-294.— Rosarii ergo mysteriis precibusque intentus animus, summa inde fiducia se committit B. M. Virginis tutelae 294. — Pars altera. Gratissimae sunt Mariae Rosarii preces, quippe quibus in coronam nectimus ipsius laudes eximiasque petitiones ea contentas oratione quam ipse Jesus nos docuit 295. — Mysteriorum contemplatione mens nostra a terrenis ad coelestia elevatur, atque ad meliorem informatur vitam ; quo quidem fit almae Virgini acceptior 295. — Illa autem mysteria meditatu facilia sunt vel ipsis indoctis 296.— Accepta a Virgine beneficia revolvimus grato animo, Rosarium colentes ; ipsa vero, magno inde perfusa gaudio, ardentes has preces libenter exaudit 296-297. — Concludit Pontifex Rosarium in remedium esse adhibendum ad propulsanda Ecclesiae mala, audacius in dies grassantibus impiis 297. — Contumeliae referuntur ipsi Deo Jesu nuper illatae in Italia, ad quas quidem indignatio universe commota est 297-298. — Sollicitudo laudatur Episcoporum sacrilegos ausus reprobantium 298. — Hos et ipse conquestus Pontifex, Christianas hortatur gentes ad religionem inviolate custodiendam 298. — Optat Mariam omnes eximie venerentur mense Octobri, et Deum apprecatus benedicit 298.

55. EPISTOLA ad Commissarium Tertii Ord. S. Francisci per Galliam de Ordinis opportunitate. — 22 Sept. 1894 ... ... pag. 299

Studium laudatur sodalium Tertii Ordinis connitentium ut uberes Ordo fructus proferat 299. — Nativa vis Ordinis in causae socialis adjumentum potest varia ratione revocari 299.

56. EPISTOLA ad J. Poletto de divino poëmate Alighierii. — 3 Nov. 1894. ... ... pag. 301

Valde laudatur divinum poëma Alighierii. Praeclaro huic operi illustrando multum Pontifex favit 301. — Gaudet ipse magisterium a se creditum Ill° D. Poletto, optime impleri ; magistrum laudat ob edita poëmatis commentaria, eumque hortatur ut poëma, principiis institutisque christianis vindicandis opportunissimum, recte interpretari pergat 301-302.

57. LITTERAE APOSTOLICAE de disciplina Orientalium conservanda et tuenda. — 30 Nov. 1894. ... pag. 303

Ecclesiae orientales omni jam laude floruerunt ipsis religionis christianae initiis, ac optime tunc de Urbe et Orbe meritae sunt 303. — Illas Ecclesia Romana semper magno honore et charitate complexa est, ipsarumque consuetudines ac ritus custodiendos curavit atque tuendos 303. — Suas ipsius de Orientalibus curas Pontifex exponit : memorat a se vel erecta vel ampliata pro clericis collegia, editasque litteras de instauranda Fidei unitate, in quibus quidem primo loco Orientales allocutus est 303-304. — Prospicere jam vult propriae ipsorum disciplinae omnino servandae,quum tanti momenti sit conservatio rituum orientalium : horum quippe antiquitas Ecclesiae ornamento est,et affirmat Fidei unitatem 304-305.—Rituum varietas catholicitatem Ecclesiae illustrat 305. — Multum ritus ad rem dogmaticam conferunt 305. — Nullum afferatur Orientalium ritibus ab Occidentalibus detrimentum, ac rata permaneant quae hac de re Bened. XIV decrevit 305-306. — Novatis vero rerum conditionibus in Oriente,advocavit Pontifex inde Patriarchas ; quibuscum re diligenter tractata, visum est ipsi ampliare quaedam Benedicti praescripta 306. — Legem statuit, ex Const. Bened. depromptam, qua temperanda sunt latinorum sacerdotum ad hierarchiam orientalem officia 306. — Decreta a Benedicto data de Graecis Melchitis, ad Orientales cujusvis ritus extenduntur 306. — Varia statuuntur 1° de latino sacerdote qui Orientalem quempiam ad ritum latinum inducit 306-307. — 2° De locis ubi desit sacerdos proprii ritus 307. — 3° De juvenibus instituendis in sodalitatibus latinis Religiosorum 307 — 4° et Religiosarum 307-308.— 5° De erigendis domibus Religiosorum vel collegiis latini ritus 308. — 6° De absolutione a casibus reservatis 308.— 7° De Orientalibus a latino ritu ad orientalem redeuntibus 308. — 8° De sponsis diversi ritus 308. — 9° De Orienta-

libus qui extra territorium patriarchale commorantur 308. — 10° De Orientalibus in ordinem religiosum latini ritus cooptandis 308. — 11° De dissidentibus ad unitatem catholicam redeuntibus 308-309. — 12° De causis matrimonialibus et ecclesiasticis definiendis 309. — 13° De jurisdictione Patriarchae graeci Melchitae 309. — Exoptat Pontifex ut Seminaria condantur in Oriente, in quibus juvenes patrio formentur ritu, sacerdotio olim apud concives functuri, magno quidem animarum emolumento 309. — Multum Seminaria conferent ad studiorum sacrorum incrementa, necnon ad Fidei unitatem 309-310. — Hortatur Pontifex Antistites ut curent haec decreta observanda ; delegatis vero suis proponit quo debeant Orientales honore et benevolentia prosequi, multum Sedis Apostolicae consiliis ita profuturi 310. — Eadem suadet latinis sacerdotibus in Oriente degentibus 310. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 310-311. (1)

1. Nonnulla quae in notulis reperiuntur menda, curavimus corrigenda in indice.

FINIS QUINTI VOLUMINIS.

Typis Societatis sancti Augustini. — Brugis.

Prodierunt ex officina typogr. Societatis S^ti Augustini :

Leonis PP. XIII Allocutiones, Epistolae, Constitutiones, aliaque act. praecipua, 5 vol. in-8°. Papier ordin. fr. 12,50 ; papier Wathmann fr. 30,0

Lettres encycliques de S. S. Léon XIII : SUR LA RESTAURATION DE LA PHILOSOPHIE CHRÉTIENNE, dans les écoles. In-8° de 32 pages. Texte latin et traduction française . ... fr. 0,5
Texte français ... ... fr. 0,2

SUR LE MARIAGE. In-8° de 33 pp. Texte latin et trad. française ... fr. 0,5

SUR LA CONSTITUTION CHRÉTIENNE DES ÉTATS. Nouvelle édition. In-8° de 32 pp. Texte latin et traduction franç. avec notes et table analytique fr. 0,5

SUR LE ROSAIRE, 1894. In-8° de 10 pp. Traduct. franç. avec notes marg. fr. 0,2

SUR LA LIBERTÉ HUMAINE. In-8°. Texte latin et traduction française avec notes marginales et table analytique, 61 pp. ... ... fr. 0,5
Même édition avec filets rouges, fr. 0,75 ; sur papier Wathmann, fr. 2,0
Texte latin seul ou traduction française seule ... ... fr. 0,2
» » avec filets rouges, fr. 0,40; sur papier Wathmann ... ... fr. 1,0

SUR LA CONDITION DES OUVRIERS. Texte latin et traduction française avec notes marginales et table analytique détaillée. In-8° 75 pp.. ... ... fr. 0,5

SUR L'ÉTUDE DE LA SAINTE-ÉCRITURE. Texte latin et traduction française, avec notes marginales. Brochure in-8° de 60 pp. ... ... fr. 0,5

AUX PRINCES ET AUX PEUPLES DE L'UNIVERS, à l'occasion de son jubilé sacerdotal. Texte latin et traduction française avec notes marginales. Broch. in-8° de 32 pages... ... ... fr. 0,5

Œuvres Pastorales de S. É. le Cardinal Joachim Pecci, archevêque-évêque de Pérouse, aujourd'hui Léon XIII glorieusement régnant, traduites de l'italien avec l'autorisation de Sa Sainteté et précédées d'une introduction, par Augustin LURY, docteur en théologie et en droit canonique, chapelain de St-Louis des Français. Deux vol. in-8° de 392-326 pages . ... fr. 7,00

Le pape Léon XIII : sa vie, son action religieuse, politique et sociale, par Mgr DE T' SERCLAES, Prélat de la maison de Sa Sainteté, Président du collège ecclésiastique belge à Rome. 2 vol. gr. in-8°, richement illustrés de XV-567 et 636 pages. ... ... fr. 10,00

Le médaillier de Léon XIII. 1 vol. in-8° de 180 pages avec encadrements riches à chaque page. Couverture en parchemin . ... fr. 4,00

Synopsis theologiæ dogmaticæ fundamentalis. De vera religione, de Ecclesia Christi, de Fontibus Theologicis. Auctore Ad. TANQUEREY, S. M. 1 vol. in-8° de 700 pages ... ... fr. 7,00

Synopsis theologiæ dogmaticæ specialis, ad mentem S. Thomæ Aquinatis, hodiernis moribus accommodata :

Tomus primus. De Fide, De Deo Uno et Trino, de Deo creante et elevante, de Verbo Incarnato.

Tomus secundus. De Deo sanctificante et remunerante, seu de gratia, de Sacramentis et de Novissimis, Auctore Ad. TANQUEREY, S. M. 2 vol. in-8° de 616 et 436 pags ... ... fr. 13,00
chaque vol. séparément.... ... ... fr. 6,50

Compendium theologiæ dogmaticæ ad mentem Divi Thomæ in decem tractatus discerptum et ad cursus Scolasticæ brevioris usum accommodatum, auctore F. PEDRINI e C. M. 1 vol. in-8° ... ... fr. 6,00

Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis, auctore F. Adulpho PETIT, S. J. 5 vol. in-12. Br., fr. 6,15; relié, 10 fr.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII

Allocutiones, Epistolae, Constitutiones,

ALIAQUE ACTA PRAECIPUA.

3950

3150

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII

ALLOCUTIONES, EPISTOLAE,

CONSTITUTIONES,

Aliaque Acta Praecipua.

VOLUMEN VI. (1894–1897.)

Typis Societatis Sancti Augustini,

DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.,

BRUGIS ET INSULIS.

MCM.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
MAY 24, 1918
MINOT FUND
FROM THE OLIVANT COLLECTION

EPISTOLA

Ad Card. Oreglia Portuensem Episc.

DE ANTIQUITATUM STUDIIS PROMOVENDIS.

4 DEC 1894.

MOERORE sapientium omnium, desiderio autem Nostro haud exiguo, viros eruditione insignes, quorum commendatio famae vel remotarum consensu gentium percrebuerat, brevi mensium intervallo, insperato obitu sublatos vidimus. Fuere hi Hilarius Alibrandi, Carolus Ludovicus Visconti, Ioannes Baptista De Rossi, de re archaeologica praeclare meriti. Quorum amissione, quum nobile Romanae Civitatis decus extinctum doleremus, simul vero pertimuimus ne quid perquirendarum antiquitatum studia detrimenti caperent. Ipso etenim ab exordio Pontificatus Nostri, curarum Nostrarum partem non mediocrem in eo collocavimus ut, quod nullo non tempore decessoribus Nostris sollemne fuit, optimarum disciplinarum studia foveremus et ad exitus laetiores proveheremus. Quamquam autem ea doctrinarum genera praecipuo favore complectenda censuimus, quae Religioni lumen ac firmamentum adiiciunt; cetera tamen, quotquot animos eleganter ornant et ad humanae societatis consuetudinem quoquo modo honestandam faciunt, providentiam Nostram minime desiderarunt. In his vero eas iure habuimus disciplinas, quae in antiquitatibus scrutandis illustrandisque versantur. Nam ipsarum ope praeteritorum temporum priscorumque hominum facta veluti reviviscunt et pene oculis obversantur: quod vero praesertim spectat ad vetustatem sacrorum, exploratissimum est quantum ipsae utilitatis con-

Testatur Pontifex curam sibi semper fuisse de divinis humanisque scientiis promovendis.

Antiquitatum studia multum prodesse scientiis, etiam sacris, exponit.

tulerint ad rei christianae historiam ordinandam et ad Ecclesiae dogmata ab osorum calumniis vindicanda. Hac Nos de caussa urbano eruditorum collegio studiis antiquitatum promovendis peculiarem semper praestitimus benevolentiam, nihilque omisimus quo pristinum teneret decus et maiore quotidie amplitudine ac dignitate floreret. Magno igitur desiderio adducti, ut simul huic coetui de parto splendore nihil decedat sed clariora afferantur incrementa, simul eidem propensi animi testimonium exhibeamus, numismata aurea bina, sena argentea, eruditorum praemia quotannis adtribuenda decernimus. Haec autem ea lege damus ut, quae aurea sunt, illis e nostratibus exterisve qui, proposito ab ipso coetu experimento, primas in tractatione tulerint ; argentea vero iis donentur qui, vertente anno, in disserendo de re archaeologica, ceteris solertia et eruditione antecesserint. Benevolentis hoc providentiae Nostrae consilium nihil dubitamus quin amplam, quam expectare licet, fructuum copiam a navitate sodalium archaeologorum sit habiturum. — Interea tibi, Venerabilis Frater Noster, quo Urbanum Collegium Patrono optimo utitur, Collegioque ipsi universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Quae studia ut in Collegio Urbano promoveantur, decernit in praemia eruditis attribuenda aurea et argentea numismata,

lege hic definita.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Decembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Brasiliae Episcopos

DE PECUNIA IN S. SEDIS SUBSIDIUM CONFERENDA.

6 DEC. 1894.

NOSTI qua temporum acerbitate Vicarius Christi afflictetur, hac etiam de caussa, quod, principatu civili sibi per vim erepto, unâ facultatibus satis amplis spoliatus sit, quarum ope utebatur ad Apostolicum munus maiore cum dignitate et ubertate fungendum. Collaudanda vero est fidelium ex orbe universo pietas, qui, Pastoris summi vicem dolentes, quod iniquitas abripuerat, ipsi sponte sufficere pro viribus conati sunt et conantur. Inde *petrianae stipis* paulatim ubique instituta ratio, exordientis Ecclesiae referens caritatem ; quae quanti nunc sit in christianae rei utilitatem momenti, apertum est. Hac Nobis volentium filiorum stipe, multis quidem gravibusque officii necessitatibus providere iam datum : sed, quum latior in dies pateat campus ad virtutem ministerii Nostri explicandam, sane prohibent angustiae rerum quominus pro ardore desiderii agamus. — Id cernere praesertim licet in orientalibus populis ; ad quos iam diu appulimus cogitationem ut, quoad in nobis est, tempora, opitulante Deo, maturemus ad dissidentes Nobiscum iungendos. Huic autem assequendo bono, per eas regiones cultui divino prospici, collegia clericorum condi, scholas aliaque id genus instituta fundari, subsidia praeberi Episcopis, est omnino necesse. Secunda quidem favent exordia ; his tamen ut exordiis obsecundemus, pares nequaquam sumus : quamobrem auxilio Nobis catholicos omnes esse oportet tum fusis ad Deum precibus, tum etiam collata opera ad sumptus suppeditandos. Incumbet autem quisque libentior in hanc laudem, qui secum reputet regionum earum caussam agi, quae Christi Iesu vestigiis dedicatae sunt, ex quibus Evangelii lumen ceteris gentibus est invectum. — Exploratum

Opportune Fideles per petrianam stipem *subveniunt Pontifici, principatu civili ipsi per vim erepto.*

Pluribus in dies laboribus intentus,

preces ab omnibus opesque petit Pontifex,

nominatim

a populis Brasiliae.

igitur habentes quo fidei ardore ac pietatis Brasiliae populi feruntur, hortamur te, Venerabilis Frater, ut consilium Nostrum adiuvare, quantum in te est, velis. Contende ut fideles tibi commissi penitus intelligant quam grande opus agatur, omnique fac studio suadeas, ut aeque precatione ac liberalitate Nobiscum insistant ad rem feliciter provehendam. Optamus idcirco, praeter collectas quae istic in more sint positae, ut aliae extra ordinem hac de caussa a te indicantur, statis quidem diebus et in universis Dioecesium curiis. Tum quae a fidelibus erogentur pecuniae, eas Curiones tibi afferant ; tu autem Internuntio Apostolico in Fluminensi civitate degenti tradas, ad Nos transmittendas.

Populi tui caritatem frustra Nos non implorasse plane confidimus. Caelestium vero praemiorum auspicem gratique ac benevolentis animi testem tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Decembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiep. Tarraconensem

DE RE RELIGIOSA ET CIVILI IN HISPANIA.

10 DEC. 1894.

POSTQUAM catholici ex tota Hispania viri, sacrorum Antistitibus praeeuntibus, quartum convenere ad religionis utilitates promovendas, visum tibi ceterisque Episcopis, qui coetui interfuerant, litteras ad Nos dare, quae de fausto rei exitu deque omnium voluntate erga Sedem Apostolicam eiusque integram libertatem docerent. Equidem de litteris deque obsequio et studio vestro gratias pro merito habemus ; in acto autem feliciter conventu impense gratulamur vobis. Deum simul benignissimum enixa prece rogamus ut, qui vobis dedit velle, quaecumque in religionis bonum concordi suffragio decrevistis det etiam perficere. Ex quibus ea esse praecipua non dubitamus, quae Nos saepenumero, suadente gentis vestrae caritate, docuimus. Illud in primis ex animo non excidisse confidimus, catholicorum officium esse, iurium disceptatione, quaecumque sint, divinae Providentiae permissa, eos, qui publicam rem administrant, omni prosequi observantia ; quod eo libentius in praesentia exequi par erit, quum Eam habeant hispanae gentes regni moderatricem quae, ob virtutes animi ac singulare obsequium in Apostolicam Sedem omni sit honore atque existimatione dignanda ; numquam vero committere ut religionis rationes, quae toto eminent caelo, politicis controversiis implicentur. Improbandi etenim profecto sunt qui in civilium factionum commoda et ad politicos quoscumque fines adipiscendos catholicum nomen pro argumento habent, religiosaque populi voluntate abutuntur. Iuvat igitur eos, quibus sacrorum cura demandata est, a civilibus studiis abstinentes omnino esse, ne ministerium Ecclesiae in suspicionem veniat. Laici vero homines non verbo tenus, sed ipsa re ecclesiasticae auctoritati morem gerant, neve unquam obliviscantur, privatorum utilitates

De quarto catholicorum conventu feliciter acto laetatur Pontifex.

Iterum catholicis inculcat obsequium iis praestandum qui publicam rem administrant.

Cavendum ne religionis rationes politicis implicentur controversiis.

Tum clericis, tum laicis proponit agendi normam.

emolumento religionis communique bono debere subiici. Haec dum servant, catholicos laicos otiosos esse nequaquam permittimus; probamus contra si, incolumi debita legibus observantia nec repudiato episcoporum ductu, religiosae rei provectum strenue prosequantur. Quamobrem congressus saepe cogi, ephemerides in vulgus edi, quae quidem ad regulam exigantur praescriptorum ab Apostolica Sede, atque incolumi reverentia erga eos qui potestate potiuntur, consociationes operariorum foveri, aliasque id genus celebrari institutiones magnopere extollimus et inculcamus. Hortamur autem multo maxime, ut Romano Pontifici, qui Christi Domini vices in terris gerit, catholici homines in dies arctius adhaereant. Novimus enim ac dolemus in Hispanis etiam minime desiderari qui, religionis obtentu, Sedis Apostolicae consiliis ac documentis obsistunt; nec desunt ephemeridum scriptores, qui, etsi catholico utuntur nomine, usque eo sunt progressi ut supremam Ecclesiae auctoritatem non adversentur modo, sed etiam irreverenter habuerint. Pro certo habemus, Venerabilis Frater, fideles Hispaniarum populos monita haec Nostra accepturos libenter, Episcopos vero naviter curaturos ut ea animis alte insideant atque in rem deducantur. Id religionis, id patriae exigit caritas: una etenim haec ratio est, qua religionis patriaeque bono vere prospiciatur. Deus autem, a quo est omne datum optimum, suo vos numine tueatur; divinarumque gratiarum auspex paternaeque Nostrae benevolentiae testis sit Apostolica benedictio, quam tibi cunctisque Episcopis populoque hispano universo amantissime impertimus.

Reprehendit eos qui haud recte se adversus Sedem Apostolicam gerunt,

et uberes ex suis monitis fructus proventuros confidit.

Datum Romae apud S. Petrum die x Decembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

QUA INSTITUTUM "A PROPAGATIONE FIDEI" FOVETUR ET COMMENDATUR.

CHRISTI nomen et regnum in gentibus quotidie latius proferre, atque devios discordesque invitare ad Ecclesiae sinum et revocare, hoc nimirum, quemadmodum sentit animus sanctum in primis esse officium muneris supremi quod gerimus, ita iamdiu est curis Nostris studiisque, apostolica urgente caritate, propositum. Hanc Nos ob caussam sacras tueri ac multiplicare expeditiones, quarum potissimum ope christianae sapientiae lumen ad errantes diffunditur, ad easque sustentandas auxilia in catholicis populis corrogata submittere, nulla unquam ratione cessavimus. Fecimus id praesertim, datis anno pontificatus tertio encyclicis litteris *Sancta Dei Civitas*, eo consilio ut praeclaro Instituto *a Propagatione Fidei* ampliorem catholicorum quum pietatem tum liberalitatem conciliaremus. Tunc persequi hortando libuit, quam ipsum modicis initiis ingressum ad quantam amplitudinem brevi tempore provenisset; quibus vel laudum testimoniis vel Indulgentiae muneribus Decessores Nostri illustres, Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI, Pius IX, idem ornassent; quam multum ex eo adiumenti sacris per orbem terrarum Missionibus allatum iam esset et quam uberiora forent deinde expectanda. Neque exiguus, Dei beneficio, respondit hortationi fructus; quum sane, Episcoporum navitati et instantiae obsequente largitate fidelium, benemerentissimum opus hisce etiam proximis annis amplificatum videamus. — At nova iam subest graviorque necessitas, quae effusiores in hanc rem spiritus manusque catholicae caritatis desideret, vestramque acuat, Venerabiles Fratres, sollertiam.

Nam, quod probe nostis, per apostolicam epistolam *Praeclara*, iunio superiore editam, visum est Nobis Dei provi-

24 DEC. 1894.

Veritatis per orbem diffundendae studiosissimus Pontifex

Institutum a Propagatione Fidei *iampridem Fidelibus fovendum commendavit, datis litteris encyclicis* Sancta Dei Civitas.

Graviorem iam Instituti promovendi subesse necessitatem exponit, quum ad Fidei

unitatem gentes modo ipse incitaverit,

dentis servire consiliis, vocando et incitando gentes, quae ubique sunt, ad fidei christianae unitatem; illud tamquam summum votorum optantibus, ut aliquanto per Nos maturetur promissum divinitus tempus, quo *fiet unum ovile et unus Pastor.* — Singularibus autem curis interea spectare

Orientaliumque Ecclesias, servata earum disciplina, Romanae Ecclesiae conjungere studeat,

Nos ad Orientem eiusque Ecclesias, multis nominibus insignes et venerandas, ex ipsis nuperrime intellexistis litteris apostolicis, quas perscripsimus de disciplina Orientalium conservanda et tuenda. Inde etiam satis compertae sunt vobis institutae rationes, quas, collatis diligenter consiliis cum Patriarchis earum gentium, exploravimus, aptius ad

ope divina simul

exitum profuturas. Neque tamen diffitemur, hanc omnem caussam difficultatibus implicari magnis: quibus eluctandis si quidem impar est virtus Nostra, totam nihilominus fiduciae constantiaeque vim, in quo maxime oportet, sitam habemus magno animo in Deo. Qui enim rei mentem Nobis et initia providus dedit, vires ipse opemque ad perficiendum summa cum benignitate certe sufficiet: atque hoc est quod enixis precibus ab ipso implorare contendimus, idemque ut

et humana fretus.

fideles omnes implorent vehementer hortamur. Divinis vero, quae fidenter expetimus, adiumentis quum humana prorsus accedere sit necesse, eis idcirco quaerendis et suppeditandis, quaecumque videantur ad id quo spectamus conducibilia, peculiares quasdam curas aequum est a Nobis impendi.

Rem sibi multo sumptui fore ostendit.

Namque ut Orientalibus, quotquot discessere, ad unicam Ecclesiam reditus muniatur, videtis, Venerabiles Fratres, opus esse in primis parari ex eis ipsis idoneam sacrorum ministrorum copiam, qui doctrina et pietate abundantes, ceteris optatae unitatis consilia suadeant; catholicae insuper sapientiae vitaeque institutionem quam maxime evulgandam esse, atque ita impertiendam, ut proprio nationis ingenio accommodatius conveniat. Quare providendum, ut sacrae educendae iuventuti, ubicumque expediat, pateant instructae congruenter domus; ut plura numero praesto sint gymnasia, alia alibi pro locorum frequentia; ut sua cuiusque ritus cum dignitate exercendi praebeatur facultas; ut optimis edendis scriptis manare ad omnes germana

religionis notitia possit. Ista et similia efficere quantae sit impensae futurum, vosmet facile intelligitis ; simul intelligitis, tam multis rebus et magnis non posse Orientales Ecclesias omnino per se ipsas occurrere, nec posse tamen a Nobis, his rerum angustiis, quam vellemus opem conferri. — Restat ut apta subsidia praecipue opportuneque ex eo petantur, quod modo laudavimus, Instituto ; cuius quidem propositum cum illo plane cohaeret quod Ipsi nunc animo destinamus. At simul vero, ne apostolicae Missiones, derivatis partim in alienum usum quibus aluntur praesidiis, quidquam accepturae sint detrimenti, magnopere instandum est, ut eo largius catholicorum in ipsum influat liberalitas. — Similem autem cautionem rectum est adhiberi, quod attinet ad affine et perutile Institutum *a Scholis Orientis*, alias auctum commendatione Nostra ; praesertim quum, moderatoribus eius aperte pollicitis, paratum similiter sit, de stipe a se cogenda, Nobis, quantum copiosius licuerit, in idem subministrare.

24 DEC. 1895.

Subsidia a laudato Instituto petit ; ideoque ipsum commendat Catholicis necnon Institutum a Scholis Orientis *larga stipe sustentandum.*

Id est igitur, Venerabiles Fratres, in quo vestra singulariter officia exposcimus : neque dubitamus quin vos, qui Nobiscum religionis et Ecclesiae caussam sustinere et provehere modis omnibus assidue studetis, egregiam Nobis sitis operam navaturi. Efficite sedulo ut in fidelibus curae vestrae commissis ipsa *a Propagatione Fidei* Consociatio, quanta maxima possit, capiat incrementa. Pro certo enim habemus fore, ut multo plures dent ei libenter nomen et largam pro facultate conferant stipem, si per vos plane perspexerint quae sit eiusdem praestantia et quam dives spiritualium bonorum copia, quantaque inde rei christianae emolumenta sint in praesens optimo iure speranda. Id certe homines catholicos debet movere penitus, quum noverint nihil se posse Nobis facere tam gratum, neque sibi Ecclesiaeque tam salutare, quam sic votis obsecundare Nostris, uti tribuere studiose certent unde ea, quae Orientalium bono Ecclesiarum constituimus, re ipsa convenienter feliciterque praestemus. At Deus, cuius unice agitur gloria in christiani nominis amplificatione et in sancta eiusdem fidei ac regiminis coniunctione, Nostris benignissimus adspiret deside-

Episcopos hortatur ut Consociationem a Propagatione Fidei *curent inter Fideles latissime diffundendam, exposita ejusdem praestantia laetisque fructibus.*

Divinum implorat auxilium

et benedicit.

riis, faveat coeptis: eius autem lectissimorum munerum auspicem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Decembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Episcopum Montispessulanensem

DE REBUS CIVILIBUS IN GALLIA.

30 DEC. 1894.

DE gratia et benevolentia erga te Nostra nihil sane est quod suspensum anxiumque te habeat; eiusdemque rei apertius testandae occasionem perlibenter capimus a temetipso oblatam. Scilicet acceptissima inter vota, quae tua recens epistola attulit, luculentius vidimus enitere obsequium illud, quod in hanc beati Petri Cathedram foves aeque ac summam voluntatem praescriptis obtemperandi optatisque Nostris. Hoc valde nimirum, ut par erat, delectati sumus; eoque vel magis, nuntiatb abs te feliciter quanta istic apud omnes et constet animorum coniunctio et vigeat sollertia communis boni ex dignitate christiana curandi. Utramque Nos laudem plurimi facimus magnoque opere tuemur, tamquam praecipuum vereque salutare vestrarum rerum praesidium: tibi autem iure gratulamur, qui in hoc ipso pro virili parte, ut fateris, elaboraveris, quique etiam statueris id efficere impensius ‹ ut cunctorum vere catholicorum corda in unum coalescant ›. Hoc tu igitur modo, Venerabilis Frater, insistens, animum sumas viresque intendas velimus: crede vero, neque Nos neque caritatem patriae ideo offendi quod quis, honesta caussa adductus, aliam rerum civilium formam secum in animo recolat vel praeoptet.

Testatur Pontifex benevolum Antistiti animum, utpote S. Sedis praeceptis obsequenti,

atque de concordia catholicorum solicito.

Licitum vero declarat aliam rerum civilium formam praeoptare.

Nunc tuis pro Nostra incolumitate votis faustam reddentes votorum vicem, tibi consilii copiam et pastoralium munerum ubertatem a Deo precamur, in eo praesertim quod sollicitus commemorasti, de conditione cleri difficiliore: amplam propterea tibi ipsi eidemque clero omnique populo tuo Apostolicam benedictionem maxima cum caritate impertimus.

Fausta Praesuli a Deo precatur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Decembris MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Episcopos foederatarum Americae septentrionalis civitatum

DE REBUS CATHOLICIS.

6 IAN. 1895.

LONGINQUA oceani spatia animo et cogitatione traiicimus : et quamquam vos allocuti alias scribendo sumus, maxime quoties ad episcopos catholici orbis communes litteras pro auctoritate dedimus, modo tamen affari vos separatim decrevimus, hoc videlicet consilio ut prodesse aliquid catholico nomini apud vos, Deo volente, possimus. Idque summo studio curâque aggredimur : propterea quod et plurimi facimus et magnopere diligimus americanum, validum iuventâ, genus : in quo plane non civilis tantummodo, sed christianae etiam rei cernimus animo incrementa latentia.

Benevolum Americanae genti animum testatur Pontifex.

Exitum quarti ab explorata America saeculi cum tota gens vestra haud multo ante gratâ recordatione atque omni significatione, ut erat dignum, concelebraret, Nos item auspicatissimi facti memoriam vobiscum recoluimus communione laetitiae et similitudine voluntatis. In illoque tempore vota quidem pro incolumitate et magnitudine vestra absentes fecisse, haud satis habuimus : in optatis erat coram, aliqua ratione, vobis adesse gestientibus : ob eam rem libentes, qui gereret personam Nostram misimus.

Ecclesiam de America bene meritam esse probat, allatis Columbi atque hominum apostolicorum laboribus.

Quae vero in illa celebritate vestra fecimus, non iniuria fecimus : quia americanum genus, vix editum in lucem ac prope vagiens in cunis, sinu amplexuque suo Ecclesia parens excepit. Quod enim alias datâ operâ demonstravimus, navigationum laborumque hunc in primis fructum Colombus petiit, aditum christiano nomini per novas terras novaque maria patefacere : qua in cogitatione constanter inhaerens, quibuscumque appulsus oris, nihil habebat antiquius, quam ut Crucis sacrosanctae simulacrum defigeret in littore. Quapropter sicut arca Noetica, exundantes su-

pergressa fluctus, semen vehebat Israelitarum cum reliquiis generis humani, eodem modo commissae oceano Colombianae rates et principium magnarum civitatum et primordia catholici nominis transmarinis oris invexere.

Quae postea consecuta sunt, non est huius loci singula persequi. Certe repertis ab homine Ligure gentibus, etiam tum agrestibus, evangelium maturrime illuxit. Satis enim est cognitum quot e Franciscana familia, item ex Dominicana et Loiolaea, duobus continentibus saeculis, istuc navigare huius rei gratiâ consueverint, ut deductas ex Europa colonias excolerent, sed in primis et maxime ut ad christiana sacra indigenas ex superstitione traducerent, consecratis non semel cruento testimonio laboribus. Nova ipsa oppidis vestris compluribus et fluminibus et montibus et lacubus imposita nomina docent perspicueque testantur, Ecclesiae catholicae vestigiis vestras penitus impressas origines. — Neque illud fortasse sine aliquo divinae providentiae consilio factum, quod heic commemoramus: cum americanae coloniae libertatem ac principatum, adiuvantibus hominibus catholicis, adeptae, in rempublicam coaluere iure fundatam, tunc apud vos est ecclesiastica hierarchia rite constituta: et quo tempore magnum Washingtonum ad gubernacula reipublicae admovit populare suffragium, eodem pariter tempore auctoritate apostolica primus est Americanae Ecclesiae episcopus praepositus. Amicitia vero consuetudoque familiaris, quam alteri cum altero constat intercessisse, documento videtur esse, foederatas istas civitates concordiâ amicitiâque coniunctas esse Ecclesiae catholicae oportere. Neque id sane sine caussa. Non enim potest nisi moribus bonis stare res publica: idque acute vidit edixitque primarius ille civis vester, quem modo nominavimus, in quo tanta fuit vis ingenii prudentiaeque civilis. Sed mores bonos optime et maxime continet religio, quippe quae suapte naturâ principia cuncta custodit ac vindicat ex quibus officia ducuntur, propositisque ad agendum momentis maximis, iubet cum virtute vivere, peccare vetat. Quid autem est Ecclesia aliud, nisi societas legitima, voluntate iussuque Iesu Christi conservandae morum sanctitati tuen-

Initia exponit rei civilis atque hierarchiae ecclesiasticae in foederatis civitatibus. Memorat primum Americae Episcopum amicitia fuisse junctam cum Washingtono

qui quidem sibi habebat persuasum non posse nisi bonis operibus stare rempublicam: bonos vero mores maxime continet religio,

quae licet natura sua salutem spectet animarum, tamen et praesentis vitae tuetur utilitatem.

daeque religioni condita? Hanc ob rem, quod saepe ex hoc pontificatus fastigio persuadere conati sumus, Ecclesia quidem, quamquam per se et naturâ suâ salutem spectat animorum, adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris degitur, prosperitatem instituta.

Rei publicae ac Ecclesiae in statibus foederatis incrementa narrat Pontifex,

Progredientem rem publicam vestram atque in meliorem statum volucri itinere venientem, nemo non vidit: idque in iis etiam rebus quae religionem attingunt. Nam quemadmodum ingenti commodorum potentiaeque accessione, unius conversione saeculi, crevere civitates, ita Ecclesiam cernimus ex minima tenuissimaque magnam perceleriter effectam et egregie florentem. Iamvero si ex una parte auctae opes copiaeque civitatum merito americani generis ingenio atque operosae sedulitati referuntur acceptae: ex altera florens rei catholicae conditio primum quidem virtuti, sollertiae, prudentiaeque tribuenda Episcoporum et Cleri: deinde vero fidei munificentiaeque catholicorum. Ita singulis ordinibus pro virili parte adnitentibus, licuit vobis res innumerabiles pie atque utiliter instituere; aedes sacras, ludos litterarios pueris instituendis, domicilia maiorum disciplinarum, domos hospitales plebi excipiundae, valetudinaria, coenobia. Quod vero propius ad culturam attinet animorum, quae christianarum exercitatione virtutum continetur, plura Nobis comperta sunt, quibus et spe erigimur et gaudio complemur: scilicet augeri gradatim utriusque ordinis Clericos: in honore esse pia collegia sodalium, vigere scholas *curiales catholicas*, scholas *dominicas* doctrinae christianae tradendae, scholas *aestivas*; consociationes ad suppetias mutuo ferendas, ad inopiam levandam, ad victus temperantiam tuendam: his accedere multa pietatis popularis argumenta.

ac res Ecclesiae tam prosperas assignat synodis Episcoporum, necnon legibus civilibus Ec-

Harum felicitati rerum non est dubium plurimum iussa ac decreta conducere Synodorum vestrarum, earum maxime, quas posteriore tempore Sedis Apostolicae vocavit et sanxit auctoritas. Sed praeterea, libet enim id fateri quod est, sua debetur gratia aequitati legum, quibus America vivit, mori-

busque bene constitutae rei publicae. Hoc enim Ecclesiae apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum praepedita vinclis, contra vim defensa iure communi iustitiaque iudiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam haec vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi existimet, petendum ab America exemplum optimi Ecclesiae status: aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacrae distractas esse dissociatasque, more americano, rationes. Quod enim incolumis apud vos res est catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fecunditati tribuendum, qua divinitus pollet Ecclesia, quaeque si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores editura fructus, si, praeter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicae potestatis.

6 IAN. 1895. Ecclesiam nullo modo praepedientibus; negat tamen optimum statum Ecclesiae inveniri in separatione a societate civili.

Nos vero, quoad per tempora licuit, conservare ac fundare firmius rem catholicam apud vos, numquam praetermisimus. — Hac de caussa duas potissimum res, quod probe nostis, aggressi sumus: alteram, provehere studia doctrinarum: alteram, rei catholicae efficere administrationem pleniorem. Scilicet etsi universitatis studiorum domicilia plura numerabantur, eaque insignia, faciendum tamen duximus, ut unum aliquod existeret Sedis Apostolicae auctoritate institutum, idemque omni iure legitimo a Nobis auctum: in quo doctores catholici studiosos sciendi erudirent, principio quidem philosophicis ac theologicis, deinde vero, ubi res et tempora siverint, ceteris quoque disciplinis, iis nominatim quas nostra aut peperit aut perfecit aetas. Omnis enim eruditio manca sit, si nulla recentiorum disciplinarum accesserit cognitio. Videlicet in hoc tam celeri ingeniorum cursu, in tanta cupiditate sciendi tam late fusa, eademque per se laudabili atque honesta, anteire decet catholicos homines, non subsequi: ideoque instruant se oportet ab omni elegantia doctrinae, acriterque exerceant animum in exploratione veri, et totius, quoad potest, indagatione naturae. Quod omni tempore idem Ecclesia voluit: ob eamque rem ad proferendos scientiarum fines omnino tantum conferre con-

Studiorum incrementum, ac rei catholicae administrationem se curare Pontifex exponit.

1° Conditam a se memorat Universitatem Washingtonii.

suevit, quantum opera et contentione potuit. Igitur per litteras die VII Martii an. MDCCCLXXXIX ad vos, Venerabiles Fratres, datas Gymnasium magnum cupidae maiorum disciplinarum iuventuti rite constituimus Washingtoni, in urbe principe; quam quidem peropportunam fore sedem studiis optimis, vosmetipsi maximo numero significastis. De qua re ad venerabiles fratres Nostros S. R. E. Cardinales cum referremus in Consistorio (1), velle Nos declaravimus, legis instar eo in gymnasio haberi, ut eruditio et doctrina coniungatur cum incolumitate fidei, neque minus ad religionem quam ad artes optimas informentur adolescentes. Idcirco rectae studiorum rationi, ac disciplinae alumnorum tuendae praeesse iussimus foederatarum civitatum Episcopos, collata Archiepiscopo Baltimorensi Cancellarii, ut loquuntur, potestate ac munere. — Et initia quidem, Dei beneficio, satis laeta. Nulla enim interiecta mora, cum saecularia sollemnia ob memoriam ecclesiasticae Hierarchiae ageretis, exorsae faustis ominibus, praesente Legato Nostro, sacrae disciplinae. Ex eoque tempore elaborare novimus in tradenda theologia spectatos viros, quorum ingenii doctrinaeque laus insigni erga Sedem Apostolicam fide observantiaque cumulatur. — Neque vero diu est, cum rescivimus, pii sacerdotis liberalitate extructas ab inchoato aedes scientiis litterisque tradendis, clericorum simul et laicorum commodo adolescentium. E cuius viri exemplo facile confidimus sumpturos, quod imitentur, cives: non enim ignota Nobis indoles Americanorum; neque fugere eos potest, quidquid in ea re collocetur liberalitatis, cum maximis in commune utilitatibus compensari.

Vult adolescentes in ipsa non minus ad Religionem informari quam ad artes optimas.

Gaudet de faustis hujus Instituti initiis.

Ex huiusmodi Lyceis, quae variis temporibus Ecclesia romana aut ipsamet princeps instituit, aut instituta probavit legibusque auxit, nemo est nescius quanta in omnem Europam et doctrinae copia et vis humanitatis effluxerit. Hodieque, ut sileamus de ceteris, satis est Lovaniense meminisse: ex quo universa Belgarum gens incrementa petit prosperitatis et gloriae prope quotidiana. Iamvero par ac similis copia utilitatum facile est a magno Lyceo Washingtoniensi

Multam ex Lyceis provenisse utilitatem testatur.

Laudibus celebrat Lyceum Lovaniense.

1. Die XXX Decembr. an. MDCCCLXXXIX.

consecutura, si doctores pariter atque alumni, quod minime dubitamus, praeceptis Nostris paruerint, iidemque, amotis partium studiis et contentionibus, opinionem sibi a populo, a Clero conciliarint. *6 IAN. 1895.*

Caritati vestrae, Venerabiles Fratres, ac beneficentiae populari commendatum hoc loco volumus Collegium urbanum adolescentibus ex America septentrionali ad sacra fingendis, quod Pius IX decessor Noster condidit, quodque ipsum Nos, per litteras die XXV Octobri mense an. MDCCCLXXXIV datas, constitutione legitima firmandum curavimus : eo vel maxime quod communem de ipso expectationem haud sane fefellit exitus. Testes estis vosmetipsi, non longo temporis decursu, complures inde extitisse sacerdotes bonos, in iisque nec deesse qui maximos sacrae dignitatis gradus virtute adepti doctrinaque sint. Quare vos omnino arbitramur facturos operae pretium, si perrexeritis lectos adolescentes huc mittere in spem Ecclesiae instituendos : quas enim et ingenii opes et animi virtutes in romana urbe paraverint, eas aliquando explicabunt domi, atque in communem afferent utilitatem. *Benevolentiae Episcoporum et beneficentiae Fidelium commendat Americae septentrionalis Collegium in Urbe, ejusque prosperum successum exponit.*

Simili modo vel inde a Pontificatus exordio caritate permoti, qua catholicos e gente vestra complectimur, de Concilio Baltimorensi III cogitare coepimus. Cumque serius Archiepiscopi, eius rei caussa, Romam invitatu Nostro istinc advenissent, diligenter ab ipsis, quid in commune consulendum censerent, exquisivimus : postremo quod universis Baltimoram convocatis visum est decernere, id matura consideratione adhibita, ratum esse auctoritate apostolica iussimus. Celeriter autem apparuit operae fructus. Quandoquidem Baltimorensia consulta, salutaria et valde accommodata temporibus res ipsa comprobavit, comprobat. Satis iam eorum perspecta vis est ad stabiliendam disciplinam, ad excitandam Cleri sollertiam ac vigilantiam, ad catholicam adolescentis aetatis institutionem tuendam et propagandam. — Quamquam his in rebus si vestram, Venerabiles Fratres, agnoscimus industriam, si collaudamus iunctam cum prudentia constantiam, merito vestro facimus ; propterea quod plane intelligimus, talium ubertatem bonorum nequaquam *2° Administrationis Ecclesiae providus, congregandum curavit Conc. Baltimorense III, ejusque decreta sancivit.* *Salutares Concilii fructus gaudet per sollertiam et prudentiam Episcoporum celeriter ad*

maturitatem pervenisse.

ad maturitatem tam celeriter atque expedite perventuram fuisse, si vosmetipsi, quae sapienter ad Baltimoram statueratis, ea non sedulo et fideliter exsequi, quantum in sua quisque potestate erat, studuissetis.

Fastigium operi Pontifex imposuit legationem apostolicam constituendo, qua America in eodem jure ac ceterae civitates ponitur, et catholici arctius cum S. Sede sociantur.

Verum absoluto Baltimorensi concilio, reliqua pars erat ut congruens et conveniens quasi fastigium imponeretur operi : quod impetrari vidimus vix posse melius, quam si Apostolica Sedes legationem americanam rite constituisset : eam itaque, ut nostis, rite constituimus. Atque hoc facto, quemadmodum alias docuimus, primum quidem testari placuit, in iudicio benevolentiaque Nostra eodem Americam loco et iure esse, quo ceterae sunt, praesertim magnae atque imperiosae, civitates. Deinde illud quoque spectavimus, ut officiorum et necessitudinum, quae vos, quae tot hominum millia catholicorum cum Apostolica Sede continent, fierent coniunctiora nexa. Revera multitudo catholicorum rem a Nobis peractam intellexit, quam sicut saluti sibi sentiebat fore, ita praeterea in more positam institutoque Sedis Apostolicae cognoverat. Videlicet romani Pontifices, ob hanc caussam quod rei christianae administrandae divinitus tenent principatum, suos peregre legatos ad gentes populosque christianos mittere vel ab ultima antiquitate consueverunt. Id autem non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo, quia " romanus Pontifex, cui contulit Christus potesta-
" tem ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas
" Ecclesias, sive in omnes et singulos Pastores et fideles (1),
" cum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec
" circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis
" exercere, necesse habet interdum *ex debito impositae servi-*
" *tutis*, suos ad diversas mundi partes, prout necessitates
" emerserint, destinare legatos, qui *vices eius supplendo*,
" errata corrigant, aspera in plana convertant et commissis
" sibi populis salutis incrementa ministrent (2). "

Ab ultima antiquitate consueverunt Romani Pontifices, nativo jure suo, legatos ad populos christianos mittere.

Missio legati nihil detrahet de Episcopo-

Illa vero quam iniusta et falsa suspicio, si qua foret uspiam, demandatam Legato potestatem potestati officere episcoporum. Sancta Nobis, ut nulli magis, eorum iura sunt,

1. Conc. Vat., Sess. IV, c. 3.
2. Cap. un. Extravag. Comm. *De Consuet.* l. 1.

quos *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, eaque permanere integra in omni gente, atque in omni regione terrarum et volumus et velle debemus : praesertim quod singulorum dignitas episcoporum cum dignitate romani pontificis ita naturâ contexitur, ut alteri necessario consulat, qui alteram tueatur. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* (1). Quare Legati Apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, cum haec persona atque hae partes sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et voluntatem interpretari, tantum abest ut ordinariae potestati Episcoporum quicquam pariat detrimenti, ut potius firmamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservandam in multitudine obedientiam ; in Clero disciplinam debitamque Episcopis verecundiam ; in Episcopis caritatem mutuam cum intima animorum coniunctione. — Quae quidem tam salutaris tamque expetenda coniunctio, cum in hoc potissimum sita sit et sentire concorditer et agere, plane efficiet, ut quisque vestrum in administratione rei diocesanae suae diligenter versari pergat : nemo alterum in regundo impediat : de alterius consiliis actisque nemo quaerat : universique, sublatis dissidiis retinendâque invicem observantiâ, provehere Ecclesiae americanae decus et commune bonum summa virium conspiratione nitamini. Ex qua Episcoporum concordia dici vix potest quanta non modo salus in nostros manabit, sed et in reliquos vis exempli : quippe qui facile vel hoc ipso argumento perspicient in Episcoporum catholicorum ordinem vere divinum apostolatum hereditate transisse. — Est praeterea aliud magnopere considerandum. Consentiunt prudentes viri, quod Nosmetipsi paulo ante indicavimus, nec sane inviti, reservatam ad maiora Americam videri. Atqui huius, quae prospicitur, magnitudinis participem eamdemque adiutricem Ecclesiam catholicam volumus. Nimirum ius esse atque oportere iudicamus, eam una cum republica pleno gradu ad meliora contendere, uten-

6 IAN. 1895.

rum potestate, immo illam efficiet firmiorem, utpote quae obedientiam in Fidelibus, disciplinam in Clero, in Episcopis caritatem mutuam tuebitur.

Episcoporum concordia ac mutua observantia

parit salutem Fidelium, utilique exemplo est acatholicis.

Americanae civitates quum novis in dies incrementis augeantur, otortet ut Ecclesia pari pro-

1. S. Gregorius, Epist. ad Eulog. Alex., lib. VIII, ep. 30.

grediatur gressu, prositque civitatum incrementis : hunc vero finem spectat apostolica legatio.

dis videlicet opportunitatibus, quas afferat dies: eodemque tempore dare operam, ut virtute institutisque suis prosit quam maxime potest incrementis civitatum. Sed omnino utrumque est tanto facilius cumulatiusque consecutura, quanto constitutam melius futura tempora offenderint. Iamvero quid sibi vult legatio, de qua loquimur, aut quid spectat tamquam finem, nisi hoc efficere, ut Ecclesiae sit constitutio firmior, disciplina munitior?

Pontifex ad Ecclesiae obsequium Fideles adhortatur,

Quod ita cum sit, valde velimus hoc in animos catholicorum quotidie altius descendat, nec sibi privatim consulere se posse rectius, nec de salute communi melius mereri, quam si Ecclesiae subesse atque obtemperare toto animo perrexerint.

commendatque dogma de unitate et perpetuitate conjugii strenue tuendum, quippe quod non minus societati civili prosit quam domesticae.

Quamquam hac illi in re vix indigent hortatione : solent enim sua sponte et laudabili constantia ad instituta catholica adhaerescere. Rem unam eamque maximi momenti et saluberrimam in omnes partes libet recordari hoc loco, quae fide moribusque sancte apud vos, uti aequum est, generatim retinetur : dogma christianum dicimus de unitate et perpetuitate coniugii : in quo non societati dumtaxat domesticae, sed etiam coniunctioni hominum civili maximum suppeditat vinculum incolumitatis. De civibus vestris, de iis ipsis qui nobiscum cetera dissident, catholicam hac de re doctrinam catholicumque morem non pauci mirantur ac probant, videlicet perterriti licentiâ divortiorum. Quod cum ita iudicant, non minus caritate patriae ducuntur, quam sapientiâ consilii. Vix enim cogitari potest capitalior civitati pestis, quam velle, dirimi posse vinculum, divina lege perpetuum atque individuum. Divortiorum " caussâ fiunt maritalia " foedera mutabilia : extenuatur mutua benevolentia : infi- " delitati perniciosa incitamenta suppeditantur : tuitioni " atque institutioni liberorum nocetur : dissuendis societa- " tibus domesticis praebetur occasio : discordiarum inter " familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur digni- " tas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini " virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam " ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes " nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur

Quanta sit divortii pestis exponit.

" prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse " divortia (1). "

6 IAN. 1895.

De rerum genere civili, compertum est atque exploratum, in re publica praesertim populari, cuiusmodi vestra est, quanti referat probos esse ac bene moratos cives. In libera civitate, nisi iustitia vulgo colatur, nisi saepius ac diligenter ad evangelicarum praecepta legum multitudo revocetur, potest ipsa esse perniciosa libertas. Quotquot igitur ex ordine Cleri in erudienda multitudine elaborant, hunc locum de officiis civium enucleate pertractent, ut id persuasum penitusque comprehensum animo habeant universi, in omni munere vitae civilis fidem praestari, abstinentiam, integritatem oportere : quod enim privatis in rebus non licet, id nec in publicis licere. De hoc genere toto in ipsis encyclicis litteris, quas in Pontificatu maximo subinde conscripsimus, complura, ut nostis, praesto sunt, quae sequantur et quibus pareant catholici. Libertatem humanam, praecipua christianorum officia, principatum civilem, civitatum constitutionem christianam scribendo edisserendoque attigimus, depromptis cum ex evangelica doctrina, tum ex ratione principiis. Qui igitur esse cives probi volunt et in officiis suis cum fide versari, facile sumant ex litteris Nostris formam honestatis. — Simili modo insistant sacerdotes Concilii Baltimorensis III statuta ad populum meminisse : ea maxime quae de virtute temperantiae sunt, de catholica adolescentium institutione, de frequenti sacramentorum usu, de obtemperatione iustis legibus institutisque reipublicae.

Vult catholicos probos beneque moratos cives sese gerere, eisque civium officia a Clero exponi deprompta tum ex Litteris encyclicis antea scriptis, tum ex statutis Concilii Baltimorensis III.

De ineundis quoque societatibus, diligentissime videndum ne quis errore fallatur. Atque hoc intelligi nominatim de opificibus volumus : quibus profecto coire in sodalitia, utilitatum sibi comparandarum gratiâ, ius est, libente Ecclesia, nec repugnante natura : sed vehementer interest, quibuscum sese coniungant, ne ubi rerum meliorum adiumenta requirunt, ibi in discrimen vocentur bonorum multo maximorum. Hujus discriminis maxima cautio est ut secum ipsi statuant, numquam commissuros ut ullo tempore ullâve in re iustitia deseratur. Si qua igitur societas est, quae a

Deterret opifices ab illis societatibus quas auctoritas ecclesiastica damnavit vel habet suspectas,

1. Enc. *Arcanum.*

personis regatur non recti tenacibus, non religioni amicis, eisque obnoxie pareat, obesse plurimum publice et privatim potest, prodesse non potest. Maneat ergo, quod consequens est, non modo fugere consociationes oportere, Ecclesiae iudicio aperte damnatas, sed eas etiam, quae prudentium virorum maximeque Episcoporum sententiâ, suspectae periculosaeque habeantur.

nec vult illos cum acatholicis facile congregari.

Imo vero, quod est valde ad fidei incolumitatem conducibile, malle catholici debent cum catholicis congregari, nisi fieri secus coegerit necessitas. Sibi vero inter se societate conglobatis praeesse sacerdotes aut laicos probos atque auctoritate graves iubeant: iisque consilio praeeuntibus, consulere ac perficere pacate nitantur quod expedire rationibus suis videatur, ad normam potissimum praeceptorum, quae Nos litteris encyclicis *Rerum novarum* consignavimus. Hoc vero numquam sibi patiantur excidere, vindicari et in tuto poni iura multitudinis rectum esse atque optabile, verumtamen non praetermittendis officiis. Officia vero permagna ea esse, aliena non tangere ; singulos esse sinere ad suas res liberos ; quominus operam suam collocare queat ubi libet et quando libet, prohibere neminem. Quae per vim et turbas facta superiore anno vidistis in patria, satis admonent americanis etiam rebus audaciam immanitatemque perduellium imminere. Ipsa igitur tempora catholicos iubent pro tranquillitate contendere rerum communium, ideoque observare leges, abhorrere a vi, nec plura petere quam vel aequitas vel iustitia patiatur.

Catholicorum societates quomodo se gerere debeant exponit.

Exoptat ut scriptores catholici numero crescant,

Has ad res multum sane conferre operae possunt, qui se ad scribendum contulere, maxime quorum in commentariis quotidianis insumitur labor. Haud latet Nos, multos iam in hac palaestra desudare bene exercitatos, quorum laudanda magis est, quam excitanda industria. Verumtamen legendi noscendique cupiditas cum tam vehemens sit apud vos ac tam late pertineat, cumque bonorum iuxta ac malorum maximum possit esse principium, omni ope enitendum, ut eorum numerus augeatur, qui scribendi munus scienter atque animo optimo gerant, religione duce, probitate comite. Atque id eo magis apparet in America necessarium

doceantque

propter consuetudinem usumque catholicorum cum alienis catholico nomine : quae certe caussa est quamobrem nostris summa animi provisione constantiâque singulari sit opus. Erudiri eos necesse est, admoneri, confirmari animo, incitari ad studia virtutum, ad officia erga Ecclesiam, in tantis offensionum caussis, fideliter servanda. Ista quidem curare atque in istis elaborare, munus est Cleri proprium idemque permagnum : sed tamen a scriptoribus ephemeridum et locus et tempus postulat, idem ut ipsi conentur, eademque pro caussa, quoad possunt, contendant. Serio tamen considerent, scribendi operam, si minus obfuturam, parum certe religioni profuturam, deficiente animorum idem petentium concordia. Qui Ecclesiae servire utiliter, qui catholicum nomen ex animo tueri scribendo expetunt, summo consensu, ac prope contractis copiis oportet dimicare : ut plane non tam repellere, quam inferre bellum, si qui vires discordiâ dissipant, videantur. — Non absimili ratione operam suam ex frugifera et fructuosa in vitiosam calamitosamque scriptores convertunt, quotiescumque consilia vel acta episcoporum ad suum revocare iudicium ausint, abiectâque verecundiâ debitâ, carpere, reprehendere : ex quo non cernunt quanta perturbatio ordinis, quot mala gignantur. Ergo meminerint officii, ac iustos modestiae fines ne transiliant. In excelso auctoritatis gradu collocatis obtemperandum Episcopis est, et conveniens consentaneusque magnitudini ac sanctitati muneris habendus honos. Istam vero reverentiam, " quam praetermittere licet nemini, maxime in catho- " licis ephemeridum auctoribus luculentam esse et velut " expositam ad exemplum necesse est. Ephemerides enim " ad longe lateque pervagandum natae, in obvii cuiusque " manus quotidie veniunt, et in opinionibus moribusque " multitudinis non parum possunt (1). " Multa multis locis Nosmetipsi de officio scriptoris boni praecepimus : multa item et a Concilio Baltimorensi III, et ab Archiepiscopis qui Chigagum anno MDCCCLXXXIII convenerant, de communi sententia sunt renovata. Huiusmodi igitur documenta

6 IAN. 1895.

vel ipsi catholicos Americanos officia sua.

Scriptores vult concordiam inter se

et Episcoporum reverentiam observare, ut rei catholicae prosint.

1. Ep. *Cognita Nobis* ad Archiepp. et Epp. Provinciarum Taurinen. Mediolanen. Vercellen., XXV Ian. an. MDCCCLXXXII.

et Nostra et vestra habeant notata animo catholici, atque ita statuant, universam scribendi rationem eisdem dirigi oportere, si probe fungi officio volunt, ut velle debent.

Conversionis dissidentium studiosissimus, confidit

Ad reliquos iam cogitatio convertitur, qui nobiscum de fide christiana dissentiunt : quorum non paucos quis neget hereditate magis, quam voluntate dissentire ? Ut simus de eorum salute solliciti, quo animi ardore velimus ut in Ecclesiae complexum, communis omnium matris, aliquando restituantur, Epistola Nostra Apostolica *Praeclara* novissimo tempore declaravit. Nec sane destituimur omni spe : is enim praesens respicit, cui parent omnia, quique animam posuit ut *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (1).

caritate ac persuasione

Certe non eos deserere, non linquere menti suae debemus, sed lenitate et caritate maxima trahere ad nos, omnibus modis persuadendo, ut inducant animum introspicere in omnes doctrinae catholicae partes, præiudicatasque opiniones exuere. Qua in re si episcoporum Clerique universi primae sunt partes, secundae sunt laicorum : quippe quorum in potestate est adiuvare apostolicam Cleri contentionem probitate morum, integritate vitae. Exempli magna vis est, in iis potissimum qui veritatem ex animo anquirunt, honestatemque propter quamdam virtutis indolem censectantur, cuiusmodi in civibus vestris numerantur perplures. Christianarum spectaculum virtutum si in obcaecatis inveterata superstitione ethnicis tantum potuit, quantum litterarum monumenta testantur, num in iis, qui sunt christianis initiati sacris, nihil ad evellendum errorem posse censebimus?

Episcoporum et Cleri,

necnon laicorum exemplis errantes oves in Ecclesiae complexum restitutum iri;

Indi etiam et Nigritae exoptat ut mox luce Evangelii illustrentur.

Denique nec eos praetermittere silentio possumus, quorum diuturna infelicitas opem a viris apostolicis implorat et exposcit : Indos intelligimus et Nigritas, americanis comprehensos finibus, qui maximam partem nondum superstitionis depulere tenebras. Quantus ad excolendum ager ! quanta hominum multitudo partis per IESUM CHRISTUM impertienda beneficiis !

Interea caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero popu-

1. Ioan., XI, 52.

loque vestro, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus. 6 IAN. 1895.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VI Ianuarii, Epiphania Domini, An. MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Episcopos Lusitaniae

DE RE CATHOLICA AUGENDA.

7 FEBR. 1895.

QUOD Nostris litteris anno MDCCCXCI datis suademus, ut universus Episcoporum Lusitaniae coetus subinde una simul conveniret ad negotia dioecesium tractanda earumque necessitatibus communi consilio prospiciendum, id vos obsequenti animo praestitisse laetati sumus. Cuius quidem laetitiae nec levis ratio ex observantia diligentiaque vestra petebatur, potior autem ex utilitatibus quae ex congressionibus habitis profluxere; concordia scilicet animorum aucta, multa ad fovendam pietatem constituta, postulata denique ipsi civili regimini delata ad religionis Ecclesiaeque commoda promovenda. Haec si iure bono laudibus cohonestamus, at potiore vobis gratulari libet de postremo conventu Olyssipone celebrato, in quo, quum de curiarum administratione deque tradenda in scholis christiana catechesi multa mature agitata, tum praesertim in sententiam deventum quae ad Ecclesiae libertatem et iura pertinent palam in Parium Comitiis prosequendi. Hinc enim in eisdem Comitiis studium catholicorum virorum excitatum ut, omni extincta disceptatione atque incolumi adversus constitutas auctoritates observantia, religiosae civilisque rei utilitatibus unice consulant. Hanc Nos voluntatem, quam inculcavimus saepe, et magnopere commendamus et suademus impensius; ut plane conantibus ex omni ordine catholicis viris, eisque qui civitatem administrant faventibus, Ecclesia et publica potestate amice consentientibus, pristina Lusitanarum gentium decora reviviscant. Quae tamen catholicorum opera ut fructuosa sit, oportet universos obtemperare Episcopis eorumque ductui religiose obsequi. Id autem praecipue ephemeridum auctoribus sanctum esto, ut ne unquam Antistitum sacrorum consilia vel acta ad suum revocare iudicium ausint aut reprehendere, ne discordia dissipari vires patiantur; sed

Episcoporum coetus valde probat Pontifex.

illum praecipue quem nuper Olyssipone celebraruni, qui quidem fructus tulit laetissimos.

Ecclesiam inter et civitatem concordiam enixe commendat, atque obsequium et reverentiam Episcopis debitam inculcat, nominatim Ephemeridum scriptoribus.

quovis abiecto privatarum partium studio, Ecclesiae patriaeque operam constanter navent.

Haec Nos dum, pro paterna in Lusitaniae populum caritate, ferventi prece a Domino expostulamus, vobis, dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, Clero fidelibusque vestris Apostolicam benedictionem, pacis universaeque prosperitatis auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum di VII Februarii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE MATRIMONIO CIVILI IN HUNGARIA.

18 MARTII 1895.

IN litteris Nostris ad Venerabiles Fratres Hungariae Episcopos semel atque iterum missis, cum prospiceret animus quid illic temporum cursus afferre catholico nomini videretur, non obscure significavimus futurorum incommodorum sollicitam expectationem. Revera coepere, quae me tuebamus, opinione citius erumpere. — Facile coniicitis quorsum Nostra pertineat oratio: ad ea nimirum, quae haud ita pridem placuit de coniugiis in Hungaria decernere. Ratum lege matrimonium, quod *civile* vocant: permissa divortiorum facultas: iussum, nuptias inire more catholico licere, sed civili ritu antea perfunctis.

Dolet Pontifex sancitum lege fuisse matrimonium civile in Hungaria.

Omnia profecto, ut debuerant, experti ac periclitati Episcopi sunt ut ab Ecclesia, a civitate tantum mali defenderent: elaboravit eodem proposito cum Episcopis Clerus: sedulam dedere operam quotquot ex utroque legumlatorum ordine salvam volunt acceptam ab avis et maioribus fidem. Quibus tamen omnibus frustra insumptus est pro caussa iustissima sanctissimaque labor: plus ii valuere, qui civicos profanare mores, remque Hungaricam in anfractus compellere rerum novarum iamdiu connituntur. Atqui vereri religionem oportebat, cui maxime firmitudinem imperii gloriamque nominis Hungaria debet: pro qua toties adversus immanes hostium impetus memorabili virtute dimicavit: quam ipsam, per summa saepe discrimina inviolate servatam, hodieque multo maxima pars studiose et constanter, ut praestantissimum bonorum, tuetur.

Renixis frustra Episcopis, Clero, nonnullisque legislatoribus, praevaluere hostes religionis qua quidem innititur hungarici regni gloria.

Haudquaquam in animo est, nec ceteroqui necessarium, plura eloqui quo appareat cuiusmodi eae leges sint, quas modo memoravimus, quasque variis temporibus easdem romani Pontifices decessores Nostri, ut veritas postulabat, praeiudicavere, praesertim quia Nosmetipsi istud de matri-

Pessimae illae de matrimonio leges centies ab Ecclesia sunt damnatae.

monio christiano argumentum, ex perpetua atque incommutabili Ecclesiae doctrina, alio loco pertractavimus. Nihilominus rem omnino tacitam relinquere, salvo officio, non possumus. Videant, qui maxime debent, illud quam sit calamitosum iustitiâque alienum, formam ineundi matrimonii catholicae genti praescribere, centies Ecclesiae iudicio damnatam. Quas res coniugia pariunt in genere civili, de iis rectum est cognoscere ac decernere, qui praesunt reipublicae: contra de ipso statuere maritali vinculo, muneris Ecclesiae est: propterea quod Christus Dominus eam Ecclesiae suae contulit potestatem, cum nuptias ex officio naturae naturalique contractu in Sacramenta transtulisset. Vix autem attinet christianum dogma recordari de ipsius unitate et perpetuitate coniugii: quibus sublatis, fundamentum illud praecipuum tollitur, in quo familiam civitatemque christianam restitutor ac perfector utriusque IESUS CHRISTUS iussit consistere. Cui quidem voluntati divinae, nulli hominum licet impune repugnare.

Statuat potestas civilis de iis quae spectant in conjugiis rem civilem; de iis vero quae spectant vinculum maritale, sola decernit Ecclesia.

Ad istiusmodi caussas molestiae atque aegritudinis adlatas foris, illae accedunt quae circumsident domi. Ne persequamur hoc loco singulas, unum illud cogitate quale fuerit, destinatos per Italiam episcopos magno numero sedibus suis prohibitos, dilata in diem ex die litterarum apostolicarum, ut loquuntur, executione. Quod huc plane recidit, intercipere cursum apostolicae auctoritatis, impedire ius proprium ac nativum romani Pontificis, cuius profecto est Antistites sacrorum non modo sublegere, sed in assignata statione, nulla re impediente, collocare. Eo vel magis quod Sedes Apostolica in delectu Episcoporum, exquisitissima adhibita diligentia, neminem evehere ad id dignitatis consuevit, quin sibi fuerit integritate vitae et laude doctrinae, simulque rerum experientia et quadam velut maturitate consilii probatus; a quibus certe nihil habet respublica, quod metuat: plurimum, quod expectet. Postremo quidem tempore iniuria facti ab iis ipsis videtur intellecta, qui fecerant: nam quae antea obstabant, remota vidimus. Qua re haud sane diffitemur magna Nos sollicitudine curaque liberatos. Quoniamque semel est aequitatis et iuris admissa vox, libet

Jam eas attingens injurias quas patitur domi, memorat Pontifex multos per Italiam Episcopos, a se sublectos, sedibus suis fuisse prohibitos, summo quidem apostolicae auctoritatis detrimento.

Composita quidem fuit illa dissentio:

confidere, nulla huius generis impedimenta posthac futura. — Quamquam si fuerit Apostolicae Sedi hac ex parte satis factum, non idcirco tamen mutata admodum censenda conditio Nostra praesens, Romano Pontifici iniuriosa, nec italico fortunata generi; cui Nos conditioni acquiescere volentes, non sanctitas iuris, non officii conscientia ullo modo patitur. Legitimam apostolici muneris libertatem, Sedisque Apostolicae iura omnia vindicamus, eodemque tenore constantiae nullo non tempore vindicabimus.

manet tamen intolerranda Sedis Apostolicae praesens conditio.

Ceterum auctoritatem muneris Nostri primum omnium postulat hodierna die Ecclesia Chaldaica, videlicet suo orbata Patriarcha ob interitum venerabilis Fratris Petri Eliae Obolonian, quem Nosmetipsi Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum rite olim in Consistorio confirmavimus. Is pie cessit e vita anno proximo superiore, die XXVII mensis Iunii, integritate, religione, beneficentia commendatus. Cui viro haec quoque tribuenda laus, quod, nominatim postea quam decreta ac iussa omnia Constitutionis Pianae *Cum ecclesiastica disciplina* demississime accepisset, reliquo tempore in obsequio Apostolicae Sedis permansit libens et constans. — Eo igitur demortuo, Episcopi Chaldaici ritus in templum Beatae Mariae Virginis prope pagum Alkosch ad synodum congregati, cunctis suffragiis dixere Patriarcham venerabilem Fratrem Georgium Ebed-Iesum Khayyath, Archiepiscopum Amidensem seu Diarbikirensem Chaldaeorum. Litteras hac de re Nobis misere Episcopi suffragatores: itemque misit Patriarcha electus, adiectâ fidei catholicae, ut assolet, suique erga romanam apostolicam Ecclesiam obsequii professione: quibus eisdem litteris cum is, tum illi postulant ut electionem confirmare sacrique Pallii honorem electo tribuere auctoritate apostolica velimus. Perspectis quidem ornamentis animi et ingenii, quae venerabilem fratrem Georgium Ebed-Iesum Khayyath commendant, explorata spes est, futurum ut communem expectationem digne expleat, collatamque dignitatem magna cum salute Ecclesiae Chaldaicae gerat. Tota hac caussâ sacro Consilio Nostro fidei christianae propagandae negotiis Ecclesiarum Orientalium ad cognoscendum permissâ, de

Laudibus ornat Pontifex defunctum Ecclesiae Chaldaicae Patriarcham,

et electionem Georgii Ebed-Iesu Khayyath ad sedem patriarchalem Babylonensem Chaldaeorum

confirmat, laudatumque Praesulem

ipsius sacri Consilii sententia venerabilem Fratrem supra dictum in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum confirmandum, eique Pallium, de beati Petri corpore sumptum, hodie concedendum censuimus. *18 MARTII 1895.* *Pallii honore auget.*

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Episcopis Chaldaici ritus factam de persona Venerabilis Fratris Georgii Ebed-Iesu Khayyath, eum praeficientes in Patriarcham et Pastorem Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum, prout in decreto et schedula Consistorialibus exprimetur: contrariis quibuscumque non obstantibus. In Nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quod reliquum est, transgredimur ad cooptationem Episcoporum.

DE COMMISSIONE PONTIFICIA AD RECONCILIATIONEM DISSIDENTIUM CUM ECCLESIA FOVENDAM.

19 MARTII 1895.

OPTATISSIMAE in una fide reconciliationis earum gentium, quae a romana Ecclesia matre non uno tempore nec una de caussa secesserunt, nova quodammodo Nos ponere initia et plena caritatis admovere invitamenta, iam inde ab apostolica epistola *Praeclara*, studiose contendimus. — Ad rem quidem eam sumus aggressi, quae, ut alias monuimus, diuturni sit laboriosique operis, eademque utilitatis non ita proxime eventurae. At vero, praeter summam divinae opis fiduciam qua maxime sustentamur, optima quaeque sunt Nobis adiumenta in id quaesita; in primisque visum est pro gravitate et amplitudine caussae opportunum, aliquot ex dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus in communionem consiliorum adsciscere. Tales reapse institutas apud Nos congressiones, principio ad rationes ecclesiarum orientalium spectare voluimus; placuitque propterea advocare et audire praesentes Venerabiles quoque Fratres, earumdem nationum vario ritu Patriarchas. Ita factum feliciter, ut quaedam rerum capita sint a Nobis, editâ haud multo ante constitutione *Orientalium dignitas ecclesiarum*, definita et decreta: quae, tametsi per se ad veterem catholicorum legitimam per Orientem disciplinam conservandam tuendamque propius pertinent, aeque tamen unitati aliis in gentibus redintegrandae posse conducere manifestum est. — Iamvero hunc Nos primum reputantes initarum congressionum fructum, eisque continuandis probe intelligentes quantum praesidii ad ceteras etiam propositorum partes iure liceat expectari, idcirco induximus animum illud providere ut huiusmodi institutum certiore quodam pacto certâque constantia, quamdiu ipsa postulaverit res, permaneat vigeatque secundum vota perutile.

Memorat Pontifex quantae sibi curae exstiterit dissidentium reconciliatio, inde ab edita Epistola Praeclara.

Ad illam reconciliationem fovendam constituitur Commissio,

Itaque sententiam Nostram litteris hisce tradentes, peculiare esse ac stabile Consilium, sive, uti loquuntur, *Commissionem* decernimus atque edicimus, proprio munere et cura deditam reconciliationi dissidentium fovendae. Ea constabit ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quos Pontifex nominatim designet, quibus ipse praesit, quique coram eo statos habeant conventus. Primosque ex instituto nominamus :

praeside ipso Pontifice. Aliquos Cardinales Pontifex nominat, ceteros postea designaturus, ex quibus Commissio constet.

MIECISLAVM LEDÓCHOWSKI
BENEDICTVM MARIAM LANGÉNIEVX
MARIANVM RAMPOLLA DEL TINDARO
VINCENTIVM VANNVTELLI
ALOISIVM GALIMBERTI
HERIBERTVM VAVGHAN
IOSEPHVM MARIAM GRANNIELLO
CAMILLVM MAZZELLA.

Erunt praeterea, ut sacris in Consiliis urbanis assolet, convenienti numero Consultores, item a Pontifice designandi : in quibus pari loco ii habebuntur quos Patriarchae catholici orientales, tamquam legatos suos in Urbe consistentes, singuli singulos, destinaverint. Consultorum sit, doctrinam suam, prudentiam, rerum usum naviter conferre cognoscendis instruendisque caussis quae in deliberationem Pontificis et Cardinalium, quos supra diximus, deferantur : deferet autem ille ex Consultoribus, cui Pontifex mandaverit eiusdem Commissionis esse ab actis; cui propterea licebit eis ipsis pontificiis congressionibus ex officio interesse.

De Consultoribus nonnulla statuuntur.

Haec vero consilia et decreta, quorum exitum auspiciis providentissimi Dei praecipue commendamus, rata firmaque consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Jos. Tomassetti

DE FESTIS IN HONOREM TORQUATI TASSI.

9 APRILIS 1895.

COGNOVIMUS sane libentes, Sodalitium romanum studiis optimis excolendis, a Sebastiano Martyre nuncupatum, velle proximis diebus, te cum delectis aliis nonnullis curam agente, Torquati Tassi publice renovare memoriam, tertio ab excessu eius circumacto saeculo. Honorem merenti habet, simulque se ornat ipsam societas vestra magni commemoratione vatis; cui quidem hoc etiam nomine aliqua debetur significatio postera, quod iustis honoribus frui vivo non licuit. Quoniamque hoc est commune institutum vestrum, ingenuarum artium, auspice in primis sapientia christiana, exercere studia, addecet profecto et consentaneum est, virum celebrari a vobis quem, si verum quaeritur, magnopere aluit ad gloriam haustus ex intima religione spiritus. Is enim, memoramus ignota nemini, per varios vitae casus perque multa tormenta fortunae, retinuit avitam fidem in omni vita comitem: quodque magis etiam id, quod diximus, confirmat, tunc vere est excellentiam assecutus quum agitare mente instituit immortale idemque non nisi religionis instinctu coeptum patratumque facinus. Hinc eius exarsit virtus poetica novo quodam concitata afflatu: mandavitque versibus non fabulosa aut ludicra, sed magnum, si quod aliud, de rebus magnis duellum: veritatem cum superstitione, Europam cum barbaria dimicantem. Neque enim tantummodo de monumentis sanctissimis, verum de salute ipsa excultarum gentium, deque summa christianae reipublicae, ferro ad Hierosolyma cernebatur. Quamobrem si non delectatio sola a poetis, sed fructus aliquis excellens cum delectatione coniunctus exquiritur, certe in nostratibus Torquatus de christiana morum urbanitate maxime omnium, uno excepto Alighierio, meruit. Atque hanc eius laudem, quan-

Probat Pontifex consilium publice renovandae memoriae T. Tassi,

viri laude digni ob retentam avitam fidem,

poetae bene de re religiosa meriti,

a Clemente VIII

tumvis obtrectatio et livor obstreperent, plane agnoscere, immo velle etiam in aperto ponere Clemens VIII decessor Noster visus est, quum scilicet, posteaquam hospitio et gratia hominem egregie coluerat, postremo ad capitolinae honorem coronae peramanter invitavit. Igitur musarum iuxta philosophiaeque christianae alumnum colat posteritas memor. Is verus Torquato honos. — Caelestium munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, tibi sodalibusque tuis Apostolicam benedictionem in Domino impertimus.

olim ad coronae capitolinae honorem invitati.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Aprilis MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA APOSTOLICA

Ad Anglos regnum Christi

IN FIDEI UNITATE QUAERENTES.

14 APRILIS 1895.

AMANTISSIMAE voluntatis significationem sibi quoque a Nobis habeat gens Anglorum illustris. — Eam quidem allocuti communiter sumus, datâ non multo antehac epistola apostolica ad principes et populos universos : verumtamen ut id propriis litteris efficeremus, iam Nobis admodum in desiderio resederat. Desiderium alebat ille quo semper fuimus animo propenso in nationem vestram, cuius res a vetustate praeclaras christiani fasti loquuntur : eaque amplius movebant quae non infrequenti cum popularibus vestris sermone acceperamus, tum de observantia Anglorum in Nos humanissima, tum praecipue de calescentibus istic animorum studiis in eo, ut pacem sempiternamque salutem per fidei unitatem requirant. — Testis autem est Deus quam incensam foveamus spem, posse operam Nostram afferre aliquid ad summum christianae unitatis negotium in Anglia tuendum et procurandum : Deoque, benignissimo conservatori vitae, habemus gratiam, qui, ut istud etiam contenderemus, hoc Nobis aetatis incolumitatisque concesserit. Quoniam vero optati exitus expectationem nullâ in re magis quam in admirabili gratiae eius virtute collocamus, in id ipsum propterea appellare Anglos, quotquot gloriantur christiano nomine, meditato consilio decrevimus. Atque eos invitamento et alloquio cohortari aggredimur, ut pariter erigant ad Deum et intendant fiduciam, opemque ab illo, tantae rei maxime necessariam, assiduitate sanctarum precum implorent.

Datis jam ad universos populos litteris de unitate catholica, propriasque tamen ad Anglos dari vult Pontifex.

Omnes in Anglia Christiani assidue Deum orent pro Fidei unitate.

Caritati in vos providentiaeque Nostrae facta Pontificum decessorum praelucent, in primis Gregorii Magni ; cuius quidem insignia de religione ac de humanitate promerita, iure in gente vestra singulari quodam nomine collaudantur.

Gregorius Magnus de gente An-

Quum enim *pro convertendis Anglis Saxonibus, quemadmodum in monachatu proposuerat, assiduis cogitationum fluctibus urgeretur* (1), si apostolicos in eis labores praesens quidem obire, ad ampliora destinante Deo, non potuit, mirum sane quo ille animo, qua constantia grande propositum institit perficiendumque curavit. Nam ex ipsa monachorum familia, quam domi suae ad omnem doctrinam et sanctimoniam eximie formaverat, illuc delectam manum, beati Augustini ductu, alacer mittit, contra miseram superstitionem nuncios evangelicae sapientiae, gratiae, mansuetudinis. Coepta porro sua nullis humanis subnixa praesidiis, et spem per difficultates crescentem, plena tandem videt et cumulata. — Cuius eventum rei eidem Augustino per litteras nuncianti, triumphans ipse gaudio ea rescripsit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis : gloria Christo,... cuius morte vivimus, cuius infirmitate roboramur, cuius amore in Britannia fratres quaerimus quos ignorabamus, cuius munere quos nescientes quaerebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat quanta hic laetitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante omnipotentis Dei gratia, et tua Fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctae fidei luce perfusa est : quod mente integerrima iam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat* (2) ? Idemque Ethelberto regi Cantii et Bertae reginae gratulatus est epistolis perbenignis, quod altera *recordandae memoriae Helenam*, alter *Constantinum piissimum Imperatorem* essent imitati (3); tum utrumque et gentem saluberrimis monitis confirmavit, plenisque prudentiae institutis provehere et augere reliquâ vita non desiit. Ita in Britanniae finibus christianum nomen, temporibus priscis ab ipsa Ecclesia invectum, propagatum, vindicatum (4), quod exterarum deinde occupatione gentium op-

Eorum optime meritus est

1. Ioann. Diac. *in vita eius* II, 33. — 2. *Epist.* XI, 28, *al.* IX, 58. — 3. *Ib.* XI, 66, *al.* IX,60; XI, 29, *al.* IX, 59. — 4. In hoc valde egit sanctus Caelestinus I, adversus haeresim pelagianam quae Britannos infecerat. Qua de re sanctus Prosper Aquitanus, scriptor eiusdem aetatis, idemque postea sancti Leonis Magni notarius, sic habet in suo *Chronico :* « Agricola pelagianus, Severiani pelagiani « episcopi filius, ecclesias Britanniae dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed ad « actionem Palladii diaconi, Papa Caelestinus Germanum, antissiodorensem epi« scopum, *vice sua* mittit, et deturbatis haereticis, Britannos ad catholicam fidem « dirigit. » Migne, *Bibl. PP.* S. Prosp. Aquit. *opp.*, vol. un., pag. 594.

pressum, longo intervallo defecerat, feliciter Gregorio auspice restitutum est.

Haec principio revocare libuit, non ideo solum quia per se egregia sunt et Ecclesiae Christi gloriosa, sed quia populo Anglorum, cuius gratiâ sunt gesta, certe erunt ad commemorandum pergrata. — At vero, quod magni interest reputare, eadem caritatis Gregorii instantiaeque argumenta, transmissa veluti hereditate, in eis non dissimiliter apparent qui Pontifices successerunt. Sive enim dignis pastoribus designatis, sive datis humanae divinaeque doctrinae magistris optimis, sive disciplinae et hortationis suppeditatis auxiliis, diligentissime est ab illis abundeque praestitum quidquid resurgenti apud vos ecclesiae ad firmamentum erat opus et ubertatem. Huiusmodi curis perbrevi sane tempore respondit exitus; nec enim usquam fortasse altius in animis recens fides insedit, neque acriores pietatis sensus erga beatissimi Petri Cathedram viguerunt. Cum quo christianae unitatis centro, in romanis Episcopis divinitus constituto, iam tum summa Anglis coniunctio intercessit decursuque aetatum perstitit, fidelissimo obsequio, firma : id quod tam multis tamque nobilibus rerum monumentis consignatum est, nihil ut testatius fieri queat.

nec minus illorum providerunt utilitatibus successores Gregorii :

unde orta est arctissima nobilis gentis cum Petri Cathedra conjunctio.

Verum saeculo sexto decimo, in illa religioni catholicae asperrima per Europam tempestate, Anglia simul, neque ignota est caussa, gravissimum vulnus accepit: quae primum divulsa a communione Apostolicae Sedis, dein ab ea fide sanctissima abducta est, quam complura iam saecula, cum magno etiam libertatis emolumento, laeta coluerat. Dissidium triste! quod decessores Nostri ex intima caritate deploraverunt, omnique providentiae ratione conati sunt restinguere et profluentem inde malorum vim deminuere. Longum quidem est, neque est necessarium, seriem persequi earum rerum quae ipsorum in hoc sedulam perpetuamque curam declarent. — Praesidium vero insigne et praevalidum ab iis paratum est, quoties peculiares indixerunt preces eo proposito ut Deus Angliam suam benignus respiceret. Cui eximio caritatis operi sese nonnulli maiorem in modum dediderunt viri sanctitate illustres, nominatim Carolus Bor-

Triste dissidium saeculo XVI natum

Romani Pontifices omni cura adhibita precibusque indictis restinguere studuerunt.

Plures viri sancti sese totos in

romaeus et Philippus Nerius; maximeque superiore saeculo Paulus ille, auctor Sodalitatis a Christi Passione, qui, non sine quodam caelesti afflatu, ut proditum est, *ad thronum divinae gratiae* supplicando instabat, eoque enixius, quo minus favere optatis tempora videbantur. — Nosmetipsi, multo etiam antea quam ad summum sacerdotium eveheremur, hoc idem religiosae precationis officium in eamdem caussam impensum, et magni fecimus et valde probavimus; huiusque rei iucunda quaedam subit animo recordatio. Quo enim tempore belgica in legatione versaremur, oblata Nobis consuetudine cum Ignatio Spencer, eiusdem Pauli sancti a Cruce alumno pientissimo, tunc nempe accepimus initum ab eo ipso, homine anglo, consilium de propaganda certa piorum societate, rite ad Anglorum salutem comprecantium (1). Tale consilium, et fide et amore fraterno excellens, vix attinet dicere quantâ Nos gratia complexi simus quantâque studuerimus ope fovere, praecipientes cogitatione largum inde utilitatis solatium anglicae genti consecuturum. Fructus autem divinae gratiae, ex bonorum precibus impetrati, non obscure quidem ante illud tempus provenerant; exinde tamen, sancto eiusmodi foedere latius dimanante, maiore copia extiterunt. Factum est enim ut complures, clarissimo etiam nomine, admonenti vocantique Deo pii volentes paruerint; idque non raro per maximas privatim iacturas, animo excelso. Praeterea mira quaedam commota est passim inclinatio animorum erga fidem et instituta catholica; ut ad haec accessio non minima facta sit existimationis et reverentiae, praeiudicatas opiniones delente studio veritatis.

14 APRILIS 1895.

Angliae salutem impenderunt, nominatim Carolus Borromaeus, Philippus Nerius, et Paulus a Cruce. Praeclara laude Pontifex exornat Societatem ab Ignatio Spencer conditam,

quae quidem uberes jam protulit fructus.

Quarum rerum progressionem considerantibus, sic Nobis persuasum est, beneficio potissimum unanimae supplicisque tam multorum ad Deum obsecrationis, maturari iam tempus quo benignitatis eius erga nationem vestram consilia se amplius prodant, ut plane *sermo Dei currat et clarificetur* (2). — Fiduciamque adiuvant quaedam ex humana civilique

Fiduciam salutis Angliae adjuvant tum ipsa humana civilisque rerum apud An-

1. Ad hoc precem ille praecipue suadebat salutationem angelicam; impetravitque a Coetu sollemni Ordinis sui, Romae habito an. MDCCCLVII, singulare de ea re praeceptum sodalibus omnibus eiusdem Ordinis. — 2. II *Thess.*, III, 1.

glos temperatio,

rerum vestrarum temperatione momenta, quae si minus proxime ad id quod propositum est conducunt, conducunt tamen, vel dignitatis humanae tuenda honestate vel iustitiae caritatisque legibus dirigendis. Sane apud vos multa datur opera caussae, quam vocant socialem, dirimendae, de qua consulto est a Nobis ipsis actum encyclicis litteris : sodalitia quoque habentur providenter condita ad aequam opificum plebisque levationem et disciplinam. Optimum similiter, quod tanta cum alacritate et firmitate contenditur, ut in populo maneat religiosa institutio : quo nullum certe stabilius est educandae soboli continendoque domestico et civili ordini fundamentum. Est item in laude, multos diligenter studioseque in id incumbere ut potus intemperantia, indigna homine labes, tempestivis cautionibus comprimatur. Illud autem egregium, coalitas nobiliorum iuvenum societates, custodiendae morum debitae continentiae, atque honori qui par est, in feminas observando : nam dolendum, opiniones de christiana continentia serpere exitiales, quasi arbitrantium non tam restricte eo praecepto teneri virum, quam femina teneatur. — Nec sine caussa prudentes viri extimescunt *rationalismi* et *materialismi* pestes, a Nobismetipsis saepius damnatas ; quarum contagione quidquid usquam auctoritatis est in religione, in studiis doctrinae, in vitae usu, tollitur funditus vel admodum infirmatur. Quam ob rem illi praeclare consulunt qui non timide complectuntur atque etiam asserunt summa Dei et Christi eius iura, leges, documenta ; his namque divinum in terris regnum consistit ; hinc omnis potestas et sapientia et incolumitas derivatur. — Probeque indolem vestram virtutemque declarat multiplex beneficentiae ratio ; de languida senectute, de pueritia derelicta, de invaletudine perpetua, de inopia calamitosa, de periclitanti pudore, de vitiositate corrigenda, curaeque aliae similes, quas antiquitus Ecclesia mater studiose induxit nulloque tempore destitit commendare. Nec praetereunda est dierum sacrorum publice inviolata religio, neque ille reverentiae habitus, quo in divinarum libros Litterarum animi fere ducuntur. — Potentia denique et opes nationis britannicae, humanitatis libertatisque beneficia unâ cum

tium adversus Rationalismum *et* Materialismum *asserta Dei et Christi jura,*

necnon varia beneficentiae opera,

dierum sacrorum religio, S. Scripturae reverentia, humanitatis in longinquas gentes diffusio.

commerciis in oras ultimas proferentis, cui non merito sunt spectatae ?

14 APRILIS 1895.

Ex hoc tamen laudatarum rerum concursu et agitatione mens tollitur ad summum omnis efficientiae principium fontemque iugem bonorum omnium; ad Deum, beneficentissimum nobis e caelo patrem. Neque enim, nisi exorato et propitio Deo, illae res vere sunt, uti oportet, privatim vel publice valiturae: quippe, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius* (1). Sic igitur animum christianus homo affectum confirmatumque habere debet, ut rerum suarum spem reponat maxime et defigat in ope divina quam sibi paret orando: inde scilicet fit ut eius actioni quiddam humano maius et generosius accedat, beneque merendi voluntas, veluti superno ardore incitata, multo se amplius atque utilius effundat. — Deus nimirum, data exorandi sui facultate, permagno mortales et honore affecit et beneficio; idque praesidium omnibus omnino promptum est nec operosum, nullique ex animo adhibenti recidit irritum: *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, tutissimus locus* (2). Quod si divinum numen religiose oranti ea licet expectare quae ad prosperum huius vitae statum proficiant, perspicuum est nihil non ei sperandum, ad aeternitatem vocato, de praestantissimorum adeptione bonorum, quae humano generi Christus peperit *sacramento misericordiae suae.* Ipsemet, *factus nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio* (3), ad ea omnia quae in id providentissime docuit, constituit, effecit, salutaria orandi adiecit praecepta, eademque roboravit benignitate incredibili.

Illa tamen ad salutem privatam aut publicam non conducent sine Dei auxilio,

quod quidem orantibus datur.

Vim orationis sive ad temporalia sive ad aeterna bona impetranda Pontifex inculcat

Sunt ista quidem nemini christiano non cognita; tamen haud satis recoli a plerisque et adamari solent. Hoc Nobis dat caussam ut orandi fiduciam vehementius excitemus, Christi Domini ipsius verba paternamque caritatem renovantes. Illa nempe gravissima et promissis uberrima: *Et ego dico vobis: Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur* (4): quae miri-

allatis verbis Christi omnia bona promittentis

1. Ps. CXLIII, 15. — 2. Chrysost. *hom.* XXX *in Gen.* 5. — 3. *I Cor.*, I, 30. — 4. *Luc.*, XI, 9-10.

fice illustrant Dei providentis consilium, ut precatio sit et indigentiae nostrae interpres et eorum quibus indigeamus certa conciliatrix. Quo vero maiestati Patris vota nostra accepta grataque fiant, ea Filius cum suo ipsius deprecatoris merito et nomine omnino iubet nos coniungere et exhibere : *Amen amen dico vobis ; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (1). Tum similitudine etiam benevolentiae actuosae, qua sunt animati parentes in liberos, rem confirmans : *Si vos*, inquit, *quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris ; quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se* (2)? Magna procul dubio lectissimorum munerum copia eo *spiritu bono* continetur ; atque illa maxime inest arcana vis, de qua Christus ipse commonuit : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (3). — Tali disciplina instituti, fieri nequaquam potest ut non invitentur, non impellantur animi ad salutarem orandi consuetudinem : nimium vero quantum in id et perseverantia insistent et exardescent pietate, ubi sese ad exempla Christi contulerint. Qui nihil timens, nulla re egens, quippe Deus, tamen *erat pernoctans in oratione* (4), atque obtulit, *preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrimis* (5) : idque peragens, *ita se Patri exhibere voluit precatorem ut meminisset se nostrum esse doctorem*, prout ipse sapienter vidit, nationis vestrae ornamentum, venerabilis Beda (6). At Christi Domini praeceptionem in hac re et exemplum nihil profecto luculentius comprobat quam supremus ille sermo quem, cruciatibus proximus necique, ad apostolos habuit. In quo, sublatis in caelum oculis, spirante pectore caritatem, Patrem sanctum etiam atque etiam compellavit, id rogans id flagitans, ut arctissima inter alumnos sectatoresque suos coniunctio foret et permaneret in veritate ; idque tamquam evidens argumentum legationis suae divinae in oculis gentium patesceret (7).

eis qui Ipsius nomine exoraverint Patrem

munificentissimum.

Non verbis Christi tantum, sed et ejus exemplo oratio commendatur.

Orationis praeceptum et exemplum praecipue continentur sermone post Coenam habito, in quo Christus ut sui unum essent Patrem rogavit.

Hoc loco gratissima enimvero obversatur cogitationi uni-

1. *Ioann.*, XVI, 23-24. — 2. *Luc.*, XI, 13. — 3. *Ioann.*, VI, 44. — 4. *Luc.*, VI, 12. — 5. *Hebr.*, V, 7. — 6. *In ev. S. Ioann.*, XVII. — 7. *Ioann.*, XVII, 21.

tas fidei et voluntatum, cuius gratiâ Redemptor et Magister noster in ea supplicatione ingemebat: quam unitatem, rei quoque civili domi forisque perutilem, haec vel maxime tempora, dissociatis adeo perturbatisque animis, plane deposcunt. Quantum in Nobis fuit, nihil admodum quod Christi exemplum et conscientia officii admoneret, videmur praetermisisse vigilando, hortando, providendo; Deoque implorationе supplicavimus humili et supplicamus, ut nationes de fide christiana dissentientes pristinam tandem repetant unitatem. Id proximo tempore non semel affirmateque significavimus, neque uno consilii modo acriores in idem curas conferre instituimus. Quam vero feliciter Nobis beateque, si rationem pastorum principi instante iam tempore reddituris, id contingat ut de his votis, quae ipso aspirante et ducente aggressi sumus perficere, libamenta ei non exigua fructuum afferamus! — Per hos autem dies magna cum benevolentia et spe habemus animum ad Anglorum gentem conversum; in qua intuemur crebriora et manifestiora indicia divinae gratiae, salutariter animos permoventis. Satis enim apparet, ut quotidie offendat non paucos communitatum suarum in rebus maximis vel confusio vel repugnantia; ut alii videant qua opus sit firmitate adversus novum variumque errorem, in prava naturae et rationis placita abeuntem; ut augescat hominum numerus religiosiorum ac prudentiorum, qui coniunctioni cum Ecclesia catholica instaurandae ex animo multumque studeant. Eloqui vix possumus quam vehementer et haec et similia plura caritatem Christi in Nobis acuant; quantâque contentione uberioris a Deo gratiae munera devocemus, quae animis ita affectis infusa, in fructus exeant optatissimos. Eos videlicet fructus, ut *occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei* (1). *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma* (2).

14 APRILIS 1895.

In hoc quidem Pontifex omnes curas impendit,

spe gaudens se vita functum uberes sui laboris fructus Deo allaturum esse.

Laete recolit indicia divinae gratiae Anglos ad unitatem catholicam moventis,

atque charitatis suae sensum Apostoli verbis testatur.

Vos igitur omnes, cuiusvis communitatis vel instituti, quotcumque in Anglia estis ad hoc unitatis sanctae pro-

Omnes in Anglia dissidentes

1. *Eph.*, IV, 13. — 2. *Ib.*, 3-5.

preces ad Deum fundant, ut doctrinae Christi veritatem perspicere coelesti lumine valeant.

positum revocandi, sermo Noster peramanter appellat. Sinite obtestemur vos per sempiternam salutem perque gloriam christiani nominis, ut preces fundere atque vota summo Patri caelesti demisse impenseque facere ne renuatis. Ab ipso, omnis luminis largitore omnisque recte facti suavissimo impulsore, opportuna petere adiumenta contendite, ut liceat vobis doctrinae eius plene dispicere veritatem, eiusdemque misericordiae consilia fidelissime amplecti, augusto nomine interposito et meritis IESU CHRISTI, in quem aspicere oportet *auctorem fidei et consummatorem* (1), quique *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret,... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* (2). —

Adeo inveteratum dissidium ut possint ipsi restinguere Dominus providebit, modo sincero et bono animo rem aggrediantur.

Difficultates si quae sunt, non sunt tamen eiusmodi ut aut caritatem Nostram apostolicam omnino iis retardari, aut voluntatem vestram deterreri oporteat. Esto, quod rerum conversionibus ac diuturnitate ipsa dissidium convaluerit: num idcirco reconciliationis pacisque remedia respuat omnia? Nequaquam ita, si Deo placet. Sunt eventus rerum, non provisione humana tantummodo, sed maxime virtute pietateque divina metiendi. In rebus enim magnis atque arduis, si modo sint sincero et bono animo susceptae, adest homini Deus, cuius providentia ab ipsis inceptorum difficultatibus capit quo magnificentius eluceat. — Ad solatium communis spei haud longe abest ut saeculum condatur tertium decimum, postquam missos ex hac Urbe apostolicos viros, quod initio commemoratum est, gens anglica auspicato excepit, spretâque vana numinum religione, primitias fidei suae Christo Deo consecravit. Res quidem, si qua unquam fuit, celebratione et gratiis publice digna, quippe quae vobis et magnam beneficiorum copiam et amplitudinem nominis per aetates adduxit. Tali autem ex recordatione memoriae utinam id praecipue bonum sequatur, ut studiosos recti animos cogitatio capiat et aestimatio iusta de fide; quae non alia maioribus illis vestris tradita est, non alia nunc traditur. Nam *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula*, ut Paulus praedicavit apostolus (3); qui peroppor-

In memoriam reducit Pontifex tredecim abhinc saeculis susceptam fuisse in Anglia catholicam Fidem, Anglosque adhortatur ut eamdem iterum amplectantur.

1. *Hebr.*, XII, 2. — 2. *Eph.*, V, 25-27. — 3. *Hebr.*, XIII, 8.

tune vos etiam hortatur ut memores sitis patrum vestrorum, *qui vobis locuti sunt verbum Dei ; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (1).

14 APRILIS 1895.

Socios adiutoresque in caussa tanta catholicos Angliae, quorum exploratissima est Nobis fides et pietas, praecipue advocamus. Qui sacrae precationis dignitatem virtutemque frugiferam sedulo apud se perpendentes, nihil dubium quin certare velint ut inde suis omni ope succurrant, eisque et sibi demereantur Dei clementiam. Nam ut quis suâ caussa oret, cogit sane necessitas; ut oret aliorum caussâ, studium hortatur fraternum : facile autem apparet plus quidem gratiae habituram esse apud Deum precem, non quam transmittat necessitas, sed quam caritas fraternitatis commendet. Id certe christiani ab Ecclesiae usque primordiis alacres praestiterunt. In eo potissimum quod attinet ad fidei donum, praeclara sunt ad imitationem quae antiquitas tradidit ; quemadmodum illi cognatis, amicis, principibus, civibus suis inflammato studio postularent a Deo *mentem obedientem in christianam fidem* (2). — Coniunctâ in re accedit aliud quod Nos habet sollicitos. Est enim compertum Nobis, non deesse istic qui nomen catholicum teneant ii quidem, re vero et professione non ita, ut aequum est, probare curent ; maxime vero, in amplis primariisque urbibus, ingenti numero esse homines qui religionis christianae ne ulla quidem elementa hauserint, quique non modo nullum Deo adhibeant cultum, sed in caeca ignoratione iustitiae bonitatisque eius versentur. In hac item calamitate orandus, exorandus est Deus : velit ille, qui potest unus, aptas curationi monstrare vias, velit eorum animos viresque sustinere qui in ea ipsa caussa iam desudant, velit *mittere operarios in messem suam.* — Quod Nos deprecandi officium quum in filiis Nostris urgemus, eosdem pariter debemus velle admonitos, ut ne quid de se desiderari ullo modo sinant quod impetrationis fructum efficiat, habeantque propemodum sibi quae Corinthiis edixit Apostolus : *Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei* (3). Nam, praeter virtutes animi, quas ipsa precatio in primis postulat, eam comitentur necesse est

Catholicos vero sperat oraturos fraterna charitate pro dissidentibus.

Singularem vim talis orationis ostendit,

et antiquam memorat Christianorum consuetudinem pro aliis dona Dei, praecipue Fidem, rogandi.

Orationes expostulat et proiisqui Deum ignorant, licet sint catholico nomine ornati.

Fideles adhortatur ut virtutibus

et bonis operibus sese dedant

1. *Ib.*, 7. 2. — 2. S. Aug., *De dono persev.*, XXIII, 63. — 3. *I Cor.*, V, 32.

quibus efficacior eorum fiat oratio.

actiones et exempla christianae professioni consentanea. Integritatis exempla et iustitiae, miserationis in egenos et poenitentiae, concordiae domesticae et verecundiae legum, optimae sunt orantium commendationes. Qui sancte colunt et perficiunt praecepta Christi, eorum scilicet votis divina liberalitas occurrit, secundum illud promissum : *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis* (1). — Id autem est quod in praesentia, consociata Nobiscum prece, singulariter a Deo velitis hortamur, ut detur vobis cives concordes fratresque in complexum perfectae caritatis excipere.

Implorat Sanctos Angliae patronos,

Ad haec, Caelitum sanctorum adiungere iuvat deprecationem : cuius efficacitas quantum, hac praesertim in re, emineat, illud Augustini docet de Stephano acute dictum : *Si sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet* (2). Itaque suppliciter imploramus Gregorium, quem suae gentis salutare Apostolum Angli consueverunt ; Augustinum, alumnum et legatum eius, ceterosque, quorum admirabili virtute, admirabilibus factis, ista dilaudata est altrix Sanctorum insula ; singularesque patronos, Petrum Principem apostolorum et Georgium ; ante omnes, sanctissimam Dei Genitricem, quam humano generi Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem, cui regnum vestrum, nobilissimo praeconio, tamquam *Dos Mariae*, inde a proavis est dedicatum. Eos cunctos magnis precibus adhibemus apud Deum suffragatores, ut, renovatis temporum optimorum auspiciis, ipse *repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti* (3).

et ante omnes sanctissimam Genitricem Dei.

Precum officia ad Fidei unitatem obtinendam jam instituta, inprimisque Rosarii usum commendat.

Peculiaria vero precum officia quae iam, ad fidei unitatem, statis diebus modisque sunt apud catholicos instituta, ea curandum ut maiore et frequentia et religione celebrentur. In primisque vigeat sancta marialis Rosarii consuetudo, a Nobismetipsis tantopere excitata : eo quidem veluti summa evangelicae doctrinae perapte continetur, ab eoque saluberrimae in populos utilitates perenni cursu fluxerunt.

Indulgentias tribuit lucrandas.

Hoc amplius, ad sacrae indulgentiae beneficia, quae subinde a Decessoribus sunt in eodem genere concessa, unum quod-

1. *Ioann.*, XV, 7. — 2. Serm. *in nat. s. Steph.* VI, n. 5. — 3. *Rom.*, XV, 13.

dam adiicere placet sponte et auctoritate Nostra. Id est, qui rite precem recitaverint quam huic epistolae subiicimus, indulgentiam singulis, etiam non anglis, dierum trecentorum tribuimus, plenariam praeterea, semel in mense, recitantibus quotidie, consuetisque servatis conditionibus. *14 APRILIS 1895.*

Haec omnia augeat expleatque divina obsecratio Christi de unitate; quam hodierna die per sacratissimum Resurrectionis eius mysterium immensa cum fiducia iteramus: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos.... Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicus tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti* (1). *Christi obsecrationem de unitate iterat, faustaque Britannorum genti adprecatur.*

Iamvero universae Britannorum genti fausta a Deo omnia cupimus et exoptamus: summa vero precamur voluntate, ut quaerentibus regnum Christi et in fidei unitate salutem vota plena eveniant.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Aprilis MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM

Pro anglis fratribus

PRECATIO.

O BEATA Virgo MARIA, Mater Dei, Regina nostra et Mater dulcissima, benigna oculos tuos converte ad Angliam, quae *Dos* tua vocatur, converte ad nos, qui magna in te fiducia confidimus. Per te datus est Christus Salvator mundi, in quo spes nostra consisteret; ab ipso autem tu data es nobis, per quam spes eadem augeretur. Eia igitur,

1. *Ioann.*, XVII, 11, 17, 20, 21, 23.

ora pro nobis, quos tibi apud Crucem Domini excepisti filios, o perdolens Mater: intercede pro fratribus dissidentibus, ut nobiscum in unico vero Ovili adíungantur summo Pastori, Vicario in terris Filii tui. Pro nobis omnibus deprecare, o Mater piissima, ut per fidem, bonis operibus fecundam, mereamur tecum omnes contemplari Deum in caelesti patria et collaudare per saecula. Amen.

EPISTOLA

Ad D. Gherardum van Caloen

DE ORDINE S. BENEDICTI

INSTAURANDO IN BRASILIA.

EX quo primum Benedictinae Familiae Beuronensi decretum feliciter fuit, nonnullos destinare monachos, qui in Congregationem Brasilicam eiusdem ordinis adlecti, eam pene intermortuam in pristinum decus revocarent, praeclari operis executionem commendatione Nostra urgendam curavimus. Nec plane exigue delectati sumus quod tu, statim ab tuo in Brasiliam adventu, Episcoporum benevolentia ac favore sis usus, ipsum vero Benedictinae Consociationis in Brasilia praesidem, pro ea qua ornatur pietate, amantissimum habueris susceptorumque itinerum comitem operâ simul et consilio perutilem. Accesserunt autem cleri universim populique studia eorumque qui civile regimen obtinent ad praeclarum opus provehendum, unde et utilitates patriae nec exiguum paratur decus. Quod tamen caput est, inde tibi laetari merito licet, quod caritate singulari universa Brasiliae Benedictinorum familia Beuronensem sodalem exceperit. Inchoatum a te opus carere difficultatibus profecto nequaquam poterat; ast eae maximam partem devictae sunt, opitulante Deo; iamque felicia de exitu ominari datur. Tirocinium Olindae ac Coenobium instituendum placuit, unde, aucto monachorum numero, Brasiliae Coenobiis novus indatur vigor ac splendor pristinus restituatur. Haec omnia ad Nos magna animi Nostri voluptate delata sunt. Quoniam igitur egregio operi perficiendo ampla sunt opus subsidia, maxime autem viri, qui volentes se ipsi dedant, confidimus in Belgica gente, quae largitatis testimonia generosaeque voluntatis constanter exhibuit, minime tibi defuturos qui suppetias eant seu stipe collata seu religiosae vitae instituto suscepto. Interea tibi et universis, qui te favore prosequan-

24 APRILIS 1895.

Gaudet Pontifex D. Gherardum van Caloen, Ordinem S. Benedicti instauraturum in Brasilia, benigne ibi receptum fuisse.

Cujus stimulat animum ut in coepto pergat opere,

opitulante gente Belgica per pecuniam et viros laboris socios.

Benedicit.

tur, Apostolicam benedictionem, benevolontiae Nostrae testem, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Aprilis MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Card. Neto, Patriarcham Ulissiponensem,

DE CENTENARIIS SOLEMNIBUS

S. ANTONII.

2 MAII 1895.

IN viris praeclarissimis, quorum virtute recteque factis egregium decus Lusitaniae partum, merito cum laude maxima censendus est Antonius, patavinus ex loco obitus cognomento dictus. Cuius quum patratorum prodigiorum fama latissime ad omnes populos pervagarit, lusitani nominis gloria ubique percrebuit, primas honoris eius ferente Ulissipone, quae hominem sanctissimum suis civibus adnumerat. Hinc iure statos Praestiti beatissimo honores indicitis, quos, etsi quotannis sollemnes, at placuit modo pietati vestrae celebriores deferre. Equidem iucunda accepimus voluntate quae idcirco parantur sacrae profanaeque laetitiae testimonia; delectatque imprimis ad celebritatis splendorem viros illustres primoresque e nobilitate feminas studium atque operam conferre alacres, non annuentibus modo verum etiam faventibus publicae rei moderatoribus. In hoc tamen nobilissimae gentis ardore id Nos solatur quam maxime, quod religiosae rei provectionem pervideamus, unde praeclara quaeque et felicia vobis ominari datum. Lusitanis enim populis, quod apertissime testatur historia, nil grande nil illustre sine religione actum, eodemque gressu civilia semper crevere commoda quo avitae religionis splendor et observantia. Optimo autem sapientique consilio arbitramur factum quod, in ceteris ad celebritatem augendam statutis, coetum catholicorum ex nationibus universis Ulissiponem cogi decreveritis. Nam praeterquamquod exterorum virorum, qui strenue pro Deo et Ecclesia certant, exempla communicataeque plurimorum sententiae ad excitandos animos conducent magnopere, utilia plane sunt quae agitanda vobis proposuistis: scilicet fidem in animis stabiliendam, catholica instituta seu pueris educandis seu operariis sociandis tuen-

Laudibus ornat Pontifex S. Antonium.

Jure ipsi praeparantur centenaria solemnia,

multum quidem rei religiosae,

ideoque et civili profutura.

Probat coetum catholicorum ex nationibus universis Ulissiponem cogi.

dis amplificanda, libertatem Ecclesiae adserendam, observantiam erga Christi Vicarium penitius cordibus inserendam. Spe igitur tenemur Antonium, qui Lusitaniam suam dulci caritate complectitur, et deferendos honores acceptu-

Prospera Lusitaniae, D. Antonio auspice, ominatur,

rum libenter et ad cives suos benigne respecturum animosque omnium eo incensurum studio, quo ipse ad catholicae rei tuitionem flagravit. Nos interim, dilecte Fili Noster, ut secunda vobis ac fausta contingant omnia, praesertim autem ad coetus exitum fortunandum, Apostolicam benedictionem, eius benevolentiae testem qua Lusitanos prosequimur, Regi imprimis Fidelissimo cunctaeque regiae Familiae, tum sacris Antistitibus cleroque ac populo universo amantissime in Domino impertimus.

et benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die II Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS APPROBANTUR REGULAE

OBLATARUM SACRI CORDIS JESU.

SICUT eximium decus et ornamentum, ita columen praesidiumque non leve christiana respublica sibi sensit accedere ex iis mulierum sodalitatibus, quae tamquam auxiliariae cohortes, augendae Dei gloriae, curandaeque proximorum saluti, se penitus dediderunt. Itaque Romani Pontifices decessores Nostri, earum semper ut collaudarunt opera, sic instituta probarunt, reique catholicae non parum interesse arbitrati sunt omni ratione providere, ut aucto numero et studio, eiusmodi sodalitates florerent fructusque ederent quotidie uberiores. Aetate hac nostra, non paucae passim constitutae sunt societates mulierum, quae quidem ope maiori, quam quae praestari ab iis propter sexus infirmitatem posse videretur, illud efficere et navare contenderunt, ut nimirum inter tantam saeculi mollitiam et corruptelam, apta atque idonea suppeditarentur fidelibus ad salutem adiumenta. In istiusmodi sodalitatum numerum iure meritoque adsciscenda est Congregatio sive pia Unio Oblatarum Sacri Cordis IESU, quae nonnullis abhinc annis erecta in dioecesi Moulinensi, auctore ac fundatrice Ludovica Teresia de Montaignac de Chausance magno animo ac singulari pietate femina, in excolendis ad religionem ac pietatem animis, vigili studio atque operosa sedulitate elaborat. Haec enim Unio Oblatarum Sacri Cordis IESU sororum, simplicibus paupertatis, castitatis atque obedientiae votis adstrictarum, in id potissimum intendit, nimirum ut Sacri Cordis IESU cultus et gloria, uberiora in dies incrementa suscipiat, maiori illud christiana plebs obsequio ac veneratione prosequatur, simulque latae eidem ab impiis iniuriae supplicium votorum ac fervida precum communione reparentur. Praeterea ipsae sorores per alias pias mulieres dictae unioni inscriptas, sub titulo « Oblatarum saecularium » inter christianas familias

4 MAII 1895.

Sodalitates mulierum gloriae Dei inservientium ac proximorum saluti egregie laudat Pontifex.

Inter illas adsciscenda est Congregatio oblatarum SS. Cordis Jesu recens fundata.

Sororum laudatae Unionis,

necnon "oblatarum saecularium,"

devotionem Cordis IESU provehere satagunt, atque opera quarumdam mulierum ‹ Oblatarum docentium a Sacro Corde › nuncupatarum, integrae puellarum institutioni consulunt, easque ad virtutis semitam decurrendam alliciunt atque impellunt. Quot autem et quantos ipsa pia Unio nacta sit in vinea Domini fructus, ex eo facile coniici potest, quod non longo interiecto annorum spatio, non solum per Galliam fere universam ac Lusitaniam late se propagaverit, sed etiam Europae fines longe sit praetergressa. Sed illam quoque adepta est laudem, quod nempe eximia iam apud omnes opinione floreat, nominatim vero apud non paucos religionis Antistites, qui dictas Oblatas Sacri Cordis IESU sorores egregie demandatum munus obire ac de religione reque christiana mereri verbis amplissimis testati sunt. Verum cum dicta Societas probe intelligat ex hac Beati Petri Cathedra tamquam ex stirpe ad ramos, ad singulas christianas institutiones principium vitae et viriditatis affluere, per hodiernam ipsius Antistitam et generalem Moderatricem dilectam in Christo filiam Claram Teresiam de Senislhac, supplices ad Nos litteras dedit, quibus petitur ut quemadmodum ipsam Unionem iam inde ab anno MDCCCLXXXI merito laudis praeconio prosequuti sumus, ac postea anno MDCCCLXXXVIII per decretum Congregationis disceptationibus Episcoporum ac Regularium dirimendis praepositae, die XVI Maii mensis datum approbavimus, ita illius regulas et constitutiones confirmare ac sancire, interposita Apostolica Nostra auctoritate velimus. Nos porro rem omnem perpendendam commisimus VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus similiter Episcoporum et Regularium negotiis praepositis, qui diligenti praehabito examine, memoratae piae Unionis constitutiones ac regulas, utpote proposito Societatis fini idoneas atque accommodatas, per decretum die XXX mensis Aprilis anni vertentis datum, probari posse existimarunt. Quae cum ita sint, Nos tam frugiferae piae Unionis votis libenti quidem animo obsecundantes, omnesque et singulas personas, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

et " oblatarum docentium a SS. Corde " munia exponuntur.

In varias gentes diffusa jam est congregatio uberes nacta fructus.

Quam antea jam S. Sedes laudavit et approbavit, ejus nunc constitutiones et regulas approbat.

tentiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, conditas pro pia Unione Oblatarum Sacri Cordis IESU Sororum constitutiones, iuxta exhibitum authenticum exemplar, cuius prima verba sunt, gallico idiomate, « Constitutions de la « Pieuse Union des Oblates du Sacré-Cœur de JÉSUS — « *Première Partie* — De la nature de l'Institut; Chapitre 1er, « De la fin de l'Institut etc. » verba postrema vero « les « nombreuses aspirantes à ce poste de sacrifice et de dévoue- « ment », quodque in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium custodiri mandavimus, definitive, salva Ordinariorum iurisdictione, approbamus atque confirmamus, iisdemque potestatis Nostrae Apostolicae robur adiicimus, et eas ab omnibus et singulis personis servari iubemus, quae nunc et in posterum memoratae piae Unioni nomen suum dederint. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

4 MAII 1895.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

C. CARD. DE RVGGIERO.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PECULIARES PRECES CATHOLICIS COMMENDANTUR PER SOLEMNIA SACRAE PENTECOSTES.

5 MAII 1895.

PROVIDA matris caritate dignum maxime est votum, quod Ecclesia rite Deo exhibere non cessat, ut populo christiano, quacumque ille patet, *una sit fides mentium et pietas actionum.* Similiter Nos, qui Pastoris divini ut personam in terris gerimus ita studemus animum imitari, idem propositum catholicas inter gentes fovere nullo modo intermisimus, idemque nunc enixius apud gentes eas urgemus, quas Ecclesia ipsa iam diu ad se magno revocat desiderio. Hisce vero consiliis curisque Nostris unde praecipue et auspicia petierimus et incrementa expectemus, non obscurum est apertiusque in dies extat: ab eo nimirum qui *Pater misericordiarum* iure optimo invocatur, et cuius est illustrare mentes benigneque voluntates flectere in salutem. — Nec sane catholici non videre possunt quanta sit susceptarum a Nobis rerum gravitas et praestantia; in eis namque, cum amplificatione divini honoris et christiani nominis gloria, salus plurimorum vertitur sempiterna. Quae ipsi si probe religioseque, ut aequum est, considerent, acriorem profecto sentient animis vim flammamque supernae caritatis, nihil quidquam Dei gratiâ recusantis, nihil non enitentis pro fratribus. Ita fiet, quod magnopere optamus, ut Nobiscum illi coniungant alacres non modo secundi exitus fiduciam, sed omnem etiam quam possint opem; eam in primis quam humiles sanctaeque preces a Deo conciliant. — Cuiusmodi officio pietatis nullum videtur accommodatius esse tempus, quam quo olim Apostoli, post Domini ascensum in caelum, simul constiterunt *perseverantes unanimiter in oratione cum... Maria Matre Iesu* (1), promissam expectantes *virtutem ex alto*

Maxime in votis est Ecclesiae et Pontifici unitas fidei.

qua Dei gloria et salus animarum promoveatur.

Illam impetrare a Deo studeant omnes Fideles orationibus suis.

Nullum vero tempus aptius orationi est quam quo olim Apostoli cum

1. *Act.*, I, 14.

omniumque dona charismatum. In eo nempe Caenaculo augusto ex eoque Paracliti illabentis mysterio, Ecclesia, quae iam a Christo concepta, ipso moriente prodierat, tunc feliciter, quodam veluti afflatu divinitus accedente, suum coepit obire munus per gentes omnes, in unam fidem novitatemque christianae vitae adducendas. Brevique tempore fructus consecuti sunt uberes et insignes; in quibus ea voluntatum summa coniunctio, nunquam satis ad imitationis laudem proposita: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (1).

Maria in Coenaculo orantes constiterunt, coeptaeque sunt gentes ab Ecclesia in unam Christi Fidem adduci.

Ob eam Nos caussam censuimus catholicorum pietatem hortatu atque invitatione excitare, ut per exempla Virginis Matris et Apostolorum sanctorum, proximis novendialibus ad sacrae Pentecostes sollemnia, Deum velint uno animo et singulari studio adprecari, illa instantes obsecratione: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.* — Maxima enimvero ac saluberrima bona ex eo sperare licet, qui Spiritus est veritatis, arcana Dei sacris in Litteris elocutus, Ecclesiamque perpetuâ praesentia confirmans; ex quo, vivo sanctitatis fonte, regeneratae animae in divinam adoptionem filiorum, mire ad aeterna augentur et perficiuntur. Siquidem ex multiformi Spiritus gratia divinum in eas lumen et ardor, sanatio et robur, levamen et requies, omnisque prosequendae bonitatis animus, sancteque factorum fecunditas perenni munere derivantur. Idem denique Spiritus virtute sua in Ecclesia sic agit, ut mystici huius corporis quemadmodum *caput* est Christus, ita ipsemet *cor* apta possit similitudine appellari: nam *cor habet quamdam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit* (2). — Quoniam ille igitur omnino *Caritas est* eique opera amoris insigniter tribuuntur, valde idcirco sperandum, fore per ipsum ut, evagante spiritu erroris et nequitiae cohibito, arctior fiat quae decet Ecclesiae filios vigeatque consensio et societas animorum. Qui quidem, secundum admonitionem Apostoli, nihil per contentionem agant, idem

Catholici per hos dies Spiritum Sanctum invocent,

Spiritum veritatis,

fontem sanctitatis,

cor Ecclesiae,

per quem, quum sit Charitas, fore sperat Pontifex ut arctius Fideles in charitate jungantur.

1. *Act.*, IV, 32. — 2. *Summa th.* S. Thomae, p. III, q. VIII, art. 1, ad 3.

sapiant, eamdem habeant caritatem unanimes (1); atque ita Nostrum explentes gaudium, civitatem quoque incolumem florentemque non uno nomine efficiant. Ex hoc autem catholicorum inter se christianae concordiae specimine, ex hac impensa divini exorandi Paracliti religione, eo sperandum est vel maxime de reconciliatione quam instituimus dissidentium fratrum provehenda; ut idem illi velint in semetipsis sentire *quod et in Christo Iesu* (2), eiusdem nobiscum fidei atque spei aliquando compotes, vinculis coniuncti optatissimis perfectae caritatis. — At vero, praeter bona emolumenta quibus fideles, quotquot hortationi Nostrae libentes responderint, talem pietatis fraternique amoris sollertiam certe a Deo cumulatam habebunt, placet Nobis praemia sacrae indulgentiae ex thesauro Ecclesiae addere et largiri.

Concordia Catholicorum et preces multum ad dissidentium reconciliationem sunt profuturae.

Itaque omnibus qui novem continuis diebus ante Pentecostem quotidie preces aliquas peculiares ad Spiritum Sanctum, publice vel privatim, pie fecerint, concedimus in singulos eos dies indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum; plenariam autem in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die pentecostes vel quolibet ex octo insequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communione refecti ad mentem Nostram, quam supra significavimus, supplicaverint Deo. Hoc praeterea tribuimus, ut si qui easdem precum conditiones iterum pro pietate sua praestent per octo dies a Pentecoste proximos, ipsis liceat utramque consequi iterum indulgentiam. Quae beneficia etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti ad suffragium posse, atque in posteros item annos esse valitura, auctoritate Nostra decernimus atque edicimus; iis ceterum salvis quaecumque de more sunt ac iure servanda.

Variis indulgentiis, in posteros annos valituris, preces indictae augentur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die V Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

C. CARD. DE RVGGIERO.

1. *Philipp.*, II, 2, 3. — 2. *Ib.*, 5.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SAECULARIBUS SOLEMNIIS

S. PHILIPPI NERII.

QUUM in honorem sancti Philippi Nerii hoc anno, die vigesima sexta vertentis Maii mensis, elapso trium saeculorum spatio, a beatissimo eius exitu, sollemnia sint peragenda sacra, nuntiatum Nobis est, ex faustitate auspicatissimi huius eventus singulari pietatis studio exarsisse fidelium omnium, ac potissimum Romanorum animos, quibus optima sane huiusmodi occasio visa, ut suam in Apostolum Almae Urbis voluntatem observantiamque multiplici significatione testarentur. Nos autem, quibus tam gravibus Ecclesiae temporibus nihil antiquius est ac suavius, quam ut religionis amor magis ac magis in populo excitetur, periucundo laetitiae sensu affecti sumus, cum haec novimus; ac, Deo opitulante, sollemnia ista sacra non vacua spirituali fructu christianis hominibus futura confidimus. Quum enim singulares sancti Philippi Nerii virtutes mente repetimus, iucunda sane recordatio mulcet animum, atque ad Dei amorem impellit oblectat. Coniuncta cum innocentia vitae doctrina, flagrans provehendae fidei zelus, effusa in egenos caritas, omnes in inclito viro praestantissimae laudes mirandum in modum enituerunt, qui et e suggesto et in exedra piaculari et in publicis concionibus, et monitis privatis, innumeros homines est ad virtutis semitam revocare nisus, et in nosocomiis, in carceribus, in templis ac per compita passim exhibuit apostolatus sui testimonia. Etsi cum eruditis viris, temporis sui primis, uteretur familiariter, humilitatis tamen amore ductus, stultitiam Crucis amplexus, et mundi caduca despiciens, inter pauperes stipem quaeritantes, interque egenos ad Petri limina peregrinantes, operosa caritate diversabatur. Congregatio Presbyterorum saecularium ab Oratorio, tot tantisque nominibus optime de re christiana merita, et quae fundatoris vestigiis insistens in piam potissimum iuve-

8 MAII 1895.

Laetatur Pontifex de saecularibus solemniis S. Philippi Nerii brevi celebrandis,

ipsumque laudat virtutibus et doctrina insignem;

cujus insistit vestigiis Congregatio ab ipso fundata.

num institutionem intendit, ipso gaudet auctore Philippo, qui primus romanos adolescentes ad septem maiores Urbis Basilicas devota ac frugifera peregrinatione invisendas adduxit. Probe etiam noscens plurimum ad excitandos ad pietatem animos sacros concentus posse, primus ea carmina, quae sunt in posterum Oratoria vocata, curavit conscribenda, ut cum poësi sociata musicae mentes fidelium flecteret ad virtutem. Quin imo prisca christianorum Martyrum hypogea, vetustate fatiscentia ac pene obliterata celebravit, ac doctissimum Caesarem S. R. E. Cardinalem Baronium, ad immane Annalium Ecclesiasticorum onus exarandum, hortationibus suis impulit. Denique quid Philippo debeat Roma quis ignorat? Extat erectum pro peregrinis et convalescentibus excipiendi hospitium, quod, quasi instituta pro caritatis exercitatione palaestra, Urbis Apostolum seris nepotibus memorat; superest in romana plebe popularis Sancti recordatio, et quae loca vivens sanctimoniae suae praesentia cives adhuc et advenae venerabundi celebrant. Idcirco quum admotae nuper Nobis sint preces a dilecto filio Ioanne Carolo Scaramucci, Praeposito Congregationi Presbyterorum saecularium ab Oratorio, ut in uberiorem animarum fructum, caelestibus Ecclesiae thesauris centenariam hanc sancti Philippi Nerii sollemnitatem, propediem tum in hac alma Urbe, tum in universo catholico orbe celebrandam ditare ac decorare velimus, Nos piis hisce votis benigne annuendum existimavimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui triduanis quotidie, vel quinquies saltem novendialibus supplicationibus, quae habendae sunt ante centenaria huiusmodi sollemnia, diebus a respectivo loci Ordinario designandis, intererint, et vel ipso die festo, vel uno e dictis tribus aut novem antecedentibus immediate diebus, ad cuiusque arbitrium eligendo, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium, ubi sancti Philippi festum celebrabitur, devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, pecca-

De pietate promovenda per cantum,

de priscorum Martyrum cultu, de re historica,

de Urbe Philippus bene meritus est.

Impertit Pontifex Indulgentias hisce saecularibus festis lucrandas.

torum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus atque elargimur. Iis vero fidelibus, qui sollemnibus festis in hac alma Urbe, vigesima sexta mensis vertentis die habendis adstiterint, concedimus ut praeter antecedentes dictam celebritatem, ut supra, dies, etiam in sequenti octiduo, scilicet ad secundam usque proximi Iunii mensis diem, plenariam similem indulgentiam lucrari licite, servatis servandis, possint ac valeant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesentibus unice tantum valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

8 MAII. 1895.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VIII Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

C. CARD. DE RVGGIERO.

EPISTOLA

Ad cardinalem Parocchi

DE COMITIIS POLITICIS A CATHOLICIS IN ITALIA VITANDIS.

Signor Cardinale,

14 MAII 1895.

Decretum de comitiis politicis vitandis, jussu Pii IX editum, cum haud recte nonnulli interpretarentur, explicatum postea fuit.

QUALE debba essere il contegno dei cattolici italiani circa il concorrere alle elezioni politiche, fu già dichiarato dall'Autorità Pontificia e confermato più volte. È nota la Circolare che, per ordine del Nostro Predecessore Pio IX di s. m., la Sacra Penitenzieria indirizzò ai Vescovi, notificando che il prender parte a tali elezioni *attentis omnibus circumstantiis, non expedit.* — E poichè quella decisione da non pochi traevasi ad altro senso, un Decreto del S. Offizio di 30 Giugno 1886, con Nostra approvazione, aggiungeva che il *Non expedit prohibitionem importat;* facendosi così manifesto il dovere pei cattolici di astenersene. Noi stessi di poi a viva voce ripetemmo che quanto il concorso dei cattolici alle elezioni amministrative è lodevole e più che mai da promuoversi, altrettanto è da evitare nelle politiche, siccome non espediente *per ragioni di ordine altissimo;* non ultima delle quali sta nella condizione stessa di cose che si è fatta al Pontefice, la quale non può certo rispondere alla piena libertà e indipendenza propria del suo Apostolico ministero. — Con tutto ciò troppo bene siamo consapevoli come si venga continuando a discutere sulle intenzioni Nostre, a togliere peso alle Nostre parole, ad eludere ancora e fare eludere le disposizioni Pontificie. Appunto con ogni argomento ed arte si tenta far credere che siano intervenuti per parte Nostra certi temperamenti, onde sia oggimai consentito ai cattolici il concorso a quelle elezioni. — Noi dunque, Signor Cardinale, riputiamo opportuno di pubblicamente dichiarare che nulla si è da Noi immutato delle

Catholicis, etsi comitiis administrationes spectantibus laudabiliter intersunt, vitanda esse comitia politica saepe Pontifex edixit,

eamque sententiam, quum nonnulli conentur infringere,

propalam manifestari ipsi visum est.

suddette disposizioni, e che perciò raccomandiamo a quanti sono veramente cattolici di volere acquetarsi ad esse e conformarsi con docile ossequio.

Intanto, a pegno della Nostra particolare benevolenza, impartiamo di tutto cuore a lei, Signor Cardinale, l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano il 14 Maggio 1895.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Georgium Ebed Iesu Khayyath, patriarcham Babylonensem, et ad omnes episcopos chaldaici ritus

DE REBUS ECCLESIAE CHALDAICAE.

20 MAII 1895.

Benevolentissimum erga Orientales animum testatus Pontifex,

OB impensam qua urgemur erga omnes ac praesertim Orientales Ecclesias voluntatem, nihil profecto Nobis fuisset optatius, quam et cum Patriarcha vestro coram communicare consilia, quum non ita pridem ceteros in Urbem advocare placuit ad deliberandum de disciplina Orientalium conservanda et tuenda; ast quum interea temporis Patriarchalis Ecclesia vestra suo mansisset viduata Pastore ob interitum b. m. Venerabilis Fratris Nostri Petri Eliae Abolionam, voti compotes fieri haud potuimus. Pergratae porro Nobis fuerunt, Venerabiles Fratres, obsequentissimae vestrae litterae, datae die XXXI mensis Octobris superioris anni, quibus nuntiastis, vos in templum Beatae Mariae Virginis prope pagum Alkosch ad synodum rite congregatos, praeside dilecto filio Nostro Henrico Archiepiscopo Babylonensi Latinorum et in Mesopotamia Nostro et Sedis Apostolicae Delegato, maxima animorum caritate ac consensione, cunctis suffragiis elegisse Patriarcham Venerabilem Fratrem Georgium Ebed-Iesum Khayyath Archiepiscopum Amidensem seu Diarbekiriensem Chaldaeorum, simulque postulastis ut electionem confirmare sacrique Pallii, in quo est plenitudo pontificalis officii, honorem electo tribuere auctoritate Apostolica vellemus. Petitioni huic vestrae, Venerabiles Fratres, libenti animo iam satisfecimus in Consistorio habito die XVIII mensis Martii proxime elapsi; datisque sub anulo Piscatoris Apostolicis Litteris, die XXII insequentis mensis Aprilis, et alteri vestrae annuimus postulationi de deputando qua Vicario, in eiusdem Patriarchae adiutorium et levamen, Venerabili Fratre Iosepho Elia Khayyath

memorat se electionem novi Patriarchae Babylonensis, chaldaici ritus,

confirmasse,

Vicariumque ad ipsum deputasse in adjutorium,

Episcopo Amadiensi Chaldaeorum, quem a vinculo quo tenebatur absolutum, ad Nisibenam titularem Ecclesiam iisdem Apostolicis Litteris transtulimus. — Insuper votis vestris, synodalibus panditis in actis, benigne subscribentes, similibus Nostris Apostolicis Litteris vacanti Amadiensi Ecclesiae Akrensem accessorie, perpetuum in modum, univimus, illique Venerabilem Fratrem Ioannem Sahar seu Fat-Allah hodiernum Akrensem praesulem in Episcopum praefecimus et Pastorem, mandantes ut ex nunc Amadiensis Episcopus etiam Akrensis Ecclesiae titulum retineat, Amadiensi titulo coniungendum. — Hisce peractis, superest ut vobis gratulemur, Venerabiles Fratres, de incoeptis studiis huic Apostolicae Sedi subiiciendis pro chaldaici Missalis recognitione, nec non de opportunis decretis ad humilitatem clericorum fovendam, synodaliter editis; humilitas enim obedientiam et unitatem spiritus parit in vinculo pacis, et disciplinae ordinem roborat; quam quidem ecclesiasticam disciplinam, ubi rite fuerit instituta, optime nostis esse firmissimum verae fidei praesidium et propugnaculum, quumque sacro cohaereat dogmati, ad eiusdem puritatem conservandam tuendamque maxime conducere, et idcirco schismaticis ad unitatem revocandis plurimum prodesse. — Insuper grati animi Nostri sensus vobis omnibus profitemur, Venerabiles Fratres, ob singularis vestrae erga Nos et hanc Beati Petri Cathedram, unde vigor et unitas sacerdotalis est orta, pietatis, amoris et obedientiae significationes. Hanc vestrum omnium observantiam non solum a praefatis litteris didicimus, verum etiam memorati Venerabilis Fratris Nostri Henrici scripto testimonio confirmatam habemus, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide retulit vestrum omnium erga Nos studium, vestram pro Nobis aemulationem, nec non peculiarem sollicitudinem qua erga ipsum usi fuistis, ut supremam Delegantis dignitatem in eius persona debito honore prosequeremini. — Confidimus autem vos nil intentatum relicturos ut clerici et fideles cuiusque vestrum curae commissi arctius in dies huic Beati Petri Cathedrae adhaereant, ita ut exemplo sint apud omnes gentes quae in circuitu sunt, et memoretur cum laude nomen

ac Amadiensi Ecclesiae univisse Akrensem.

Gratulatur Episcopis de studiis initis pro chaldaici Missalis recognitione, necnon de synodalibus decretis humilitatem Clericorum spectantibus.

Laudat illos S. Sedis observantissimos,

atque hortatur ut arctius in dies Clericos et fideles adstringant B. Petri Cathedrae.

Nestorianosque reducant ad catholicam Unitatem.

eorum per Ecclesias; neque ullimode dubitamus, quin omnem operam daturi sitis, ut errantes fratres, nestorianae videlicet haeresis sectatores, ad unitatem fidei et catholicae Ecclesiae sinum reducantur: quod quidem ut quantocius fiat, in humilitate cordis Nostri Deum enixe adprecamur. — Hac denique occasione quam libentissime utimur, ut praecipuam, qua vos in Domino complectimur, benevolentiam testemur et confirmemus, omnium caelestium gratiarum plenitudinem a divina benignitate vobis adprecantes ex corde; quarum auspicem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam vobis, Venerabiles Fratres, omnibusque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum curae commissis peramanter impertimus.

Benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA APOSTOLICA

Ad Coptos.

DE CHRISTIANA UNITATE.

II IUNII 1895.

UNITATIS christianae propositum, instaurandae per Orientem vel affirmandae, vix Nos, Patriarchis illarum gentium in consilium accitis, aggressi eramus, quum ab isto catholicorum Clero accepimus litteras obsequio in Nos et obsecratione refertas. Eas paulo post alterae subsecutae sunt, similem filiorum pietatem spirantes similiterque supplices, ab optimatibus nationis vestrae communiter datae: quae pariter atque illae tam acciderunt iucundae ut intimam erga vos animi caritatem permoverint. Hoc autem eo vel magis factum, quia ex utrisque luculenter testatum vidimus singulare, quo ardetis, studium reconciliationis salutisque iuvandae vestrorum civium, quos a gratia sua iam pridem Apostolica Sedes dolet seiunctos. Dignus plane est professione catholica animus iste vester, dignus vera Christi fraternitate. Neque Nos cunctati profecto sumus ad postulata quae detulistis peculiares quasdam cogitationes convertere; rescribere tamen ad vos consulto in hoc tempus distulimus. Visum est enim rationibus vestris id fore utilius, si mentem Nostram pleniore licuisset modo patefacere, simulque cum quaesito paternae curae solatio, nonnihil vobis hortationis apostolicae impertire.

Ad binas a Coptis catholicis acceptas litteras

rescribens Pontifex,

Inclitae ecclesiae gentique vestrae maxima Nos benevolentia, nec vos opinio fallit, omnino favemus, nihil habentes potius, quam ut afflictas eius res praesenti ope erigamus. — Siquidem, a religionis inde primordiis, arctissima et praeclara necessitudinis vincula intercesserunt Romanam inter et Alexandrinam ecclesiam. Hanc ipse apostolorum Princeps per Marcum discipulum et interpretem suum condendam regendamque curavit, futuram non uno nomine eximiam. Nec quisquam ignorat quam digne eam tenuerint

suam in Coptorum gentem benevolentiam testatur.

Initia exponit ecclesiae Alexandrinae

quam quidem viri,

sanctimonia et sapientia insignes.

viri sanctimonia et sapientia insignes, in his Dionysius, Petrus martyr, Athanasius, Cyrillus; qui, ex praeconio sancti Caelestini I, semper defensores catholici dogmatis extiterunt (1), et quorum summa cum Pontifice romano consensio auctoritatisque eius par observantia multis factis elucet.

necnon schola philosophiae celeberrima,

Fuit etiam apud cathedram Marci schola electae doctrinae late nobilissima; in qua iam tum patuit quid disciplinae humanae utiliter possint ad veritatem divinam sive illustrandam sive tuendam, prudenti iudicio advocatae.

et Eremitarum virtutes illustraverunt.

Sed clarior praeterea laus ecclesiae vestrae, specimina excellentis virtutis protulisse; in omnemque posteritatem manabit eorum memoria qui desertas Aegypti solitudines in domicilia evangelicae perfectionis, magni Antonii instituto admirabili, commutarunt. — Infesta catholicae unitati successere tempora, eaque diu Alexandrinae quoque ecclesiae calamitosa: non defuere tamen ex ipsa qui argumenta ederent non obscura pristinae repetendae romanae fidei et communionis.

Memorat unitatem postea disruptam,

Illud quidem commemorabile sub exitum magni Concilii Florentini, quum Eugenius IV decessor Noster, splendidâ Coptorum atque Aethiopum legatione admissa, Alexandrinam sedem addictasque gentes Sedi Apostolicae reconciliavit, magnâ Ecclesiae laetitia. Atque utinam integra apud eas omnes permansisset concordia pacta, neque alienationis caussae rursus acerbae incidissent. Nihilo tamen minus eodem providentiae caritatisque studio romani Pontifices in discordes filios constiterunt affecti: vosque ipsi nomina potissimum Pii IV, Gregorii XIII, Innocentii XI et XII, Clementis XI itemque XII, Benedicti XIV, Pii VII, in litteris vestris recoluistis grato animo et memori.

ab Eugenio IV instauratam, iterumque disruptam, nihil tamen mutata Romanorum Pontificum in discordes filios benevolentia.

Exponit a se ipso de Coptorum gente susceptas curas:

Ad Nos quod attinet, iucundum enimvero est, penitus vobis haerere in animis, ut religiose declarastis, eas de rebus vestris curas quas ab initio pontificatus suscepimus, multoque est iucundius nosse quam fideli eisdem curis voluntate et opera respondere nitamini. Id enim in primis est a Nobis consultum, ut aptum haberetis praesidium ab Alumnis Societatis Iesu: qui vobis adsunt quum sacrarum expeditionum muneribus, tum puerilis aetatis institutione, in eoque

alumnos Societatis Jesu

1. *Ep. ad S. Cyrilium Alex.*, n. 1.

praecipue ut bonae indolis adolescentes rite ad clericatum educant. Mandatu pariter Nostro, istuc deinde advecti sunt Missionales Africani Lugdunenses, homines apostolici, qui adhuc apud vos, in inferiore praesertim Aegypto, versantur. Egregiam autem eorum operam largeque fructuosam aequum est vos, ut facitis, collaudare, atque ex eo de resurgenti ecclesiae vestrae gloria, in tempus haud ita longinquum, optime augurari. Id ipsum adeo Nostram auget expectationem acuitque instantiam, ut nuper etiam aliquid rogationi vestrae concedendum libentissime censuerimus. Episcopum namque habetis a Nobis datum, popularem vestrum; virum, ut aetate, sic doctrina florentem, consilio, exemplo; qui nullis profecto nec vigiliis nec laboribus parcet in vestram omnium salutem. Nobisque laetabilis vere fuit ampla ea significatio honoris, qua ipsum, prout novissimae nunciaverunt litterae vestrae, uno vos animo auspicantem dignitatis munia excepistis, debitae simul obtemperationis partes sancte polliciti. — Sed plura deinceps et maiora posse Nos efficere caussâ vestra, valde confidimus, favente Deo vobisque omni conspirantibus ope et pietate. Atque id vos primum curare studiosissime oportet, quemadmodum *depositum fidei* caute inviolateque custodiatis : nec enim vos fugit de bono agi omnium praestantissimo, eoque malis artibus fallaciisque quorumdam hominum istuc peregre commeantium nimis multum obnoxio. Et quoniam ad rectam fidei custodiam plurimum sane interest quali disciplinae ratione animi a teneris imbuantur, eam idcirco velle ab omni erroris periculo incolumem, atque adeo ministram religionis et probitatis, scholis multiplicatis optimis, enixe contendite. Qua in re tam gravi, a Nobis etiam bona vos habere volumus adiumenta. — Ista vero, quae commendavimus, non ita, ut opus est, benevertent, nisi accesserint christianae virtutis pietatisque exercitationes, ab illis maxime qui maiores natu, qui loco clariores : proinde agite, huc etiam pro virili parte alacriorem diligentiam conferte *in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* (1). Sacerdotum quidem copia, pro locorum atque hominum

11 IUNII 1895.

atque Missionales Africanos Lugdunenses ad illam missos.

et Episcopum ex Coptis assumptum.

Ad plura paratus in gentis salutem, hortatur Coptos catholicos ut conspirent secum.

multumque Sacerdotes,

1. *Coloss.*, I, 10.

opportunitatibus, in desiderio est : attamen in hanc spem nonnulli ex vestra ipsa iuventute iam probe succrescunt. Qui si utrâque ornentur laude et doctrinae sanae et vitae integerrimae, si religionis catholicae ardore et vera caritate patriae ducantur, laeta sane erunt vobis incrementa allaturi, ac subinde laetiora, aliis pluribus ad sacerdotium incitatis exemplo. Neque id minus curandum sperandumque est de virginibus sacris, educationi deditis puellari; quae floreant in tutela Catharinae vestrae, sapientis virginis et invictae. — Unum videtur reliquum, in quo vos peramanter hortemur; hoc est ut animorum coniunctionem diligere atque colere ne cessetis. Et clerici inter se et inter se laici homines quantâ maxima fieri possit sentiendi agendique conveniant similitudine : utrumque vero ordinem copulatum et obstrictum teneat *vinculum perfectionis*, caritas Christi. Quae documenta ut eo amplius in animis valeant, libet compellare vos eodem pastorali studio quo maiores vestros beatus Cyrillus e patriarchali throno alloquebatur (1) : *Imitemur, dilectissimi et caelestis vocationis participes, imitemur, pro sua cuiusque facultate, ducem nostrae salutis et consummatorem* IESUM. *Amplectamur eam, quae in altum evehit, animi demissionem, et caritatem, quae nos Deo coniungit, et erga divina mysteria sinceram fidem. Divisionem fugite, vitate discordiam..., mutua vos caritate fovete ; Christum audite edicentem : In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (2). — Inter multiplices autem fructus eiusdem concordissimae caritatis, singularis quidam inest in eo, quod vestri qui de religione dissident cives, tali exemplo commoti, propensius adducantur ut catholicam vobiscum communionem expetant et requirant. Cuius rei eventum quum merito vos tantopere exoptetis, eumdem ipsi urgeatis velimus, et apud eos omnibus christianae humanitatis officiis, et sanctis apud Deum precibus ; id quod a Nobis vel proxime est catholicis universis indictum.

et sacras Virgines ri religiosae profuturos confidit.

Concordiam tum Clericis tum laicis suadet,

allata praeclara B. Cyrilli cohortatione ;

cujus quidem concordiae exemplum opportunissimum ducit reconciliandis Ecclesiae dissidentibus.

Hoc loco sentit maxime animus ac testari gestit sollicitae caritatis vim, qua vos, quotquot coptico estis ritu a Nobis

Hos jam ad communionem ca-

1. *Hom.*, in mysticam Caenam, X *ex diversis, c. ult.* — 2. *Ioann.*, XIII, 35.

disiuncti, vos ad unum omnes, prosequimur cupimusque *in visceribus Iesu Christi* (1). Sinite, fratres et filios dulci vos desiderio appellemus; sinite alamus spem quam de reditu vestro non tenuem exhibetis. Comperta quippe est vestra in Nos ac nostros benevolens gratia; aeque ac mens pia, qua factum commiserantes patrum, tempora illa, sanctitatis fecunda et gloriae, saepius revocatis. Idque fiduciam addit quod complures ad hanc Petri Cathedram, tamquam ad arcem veritatis et salutis perfugium, non sine ardore respicitis, nihil fere iam dubitantes ad optima erga ipsam consilia inclinare. — Consilia eiusmodi, rectis animis auctore divino Spiritu iniecta, ut studiose Nos complexi antehac sumus, sic incensa magis magisque voluntate complectimur, Deoque misericordi votis maximis commendamus. Quidquid autem possit ex Nobismetipsis ad ea perficienda conducere, id Nos, certissimum habetote, non modo nulla in parte desiderari patiemur, sed ultro abundeque pro conscientiae officio praestabimus. Nempe plenam prudentiae et benignitatis rationem quam in eadem re adhibuit Benedictus XIV, decessor illustris beneque de natione vestra promeritus, deliberatum Nobis est imitari; qui multa peropportune constituit, auctoritatem temperans indulgentia. *Ex hac porro indulgentia*, similiter Nos ut est ille professus, *uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium: probe enim intelligent, Nos pastoris Iesu Christi vicem in terris tenentes, tantum quaerere et salvum velle quod perierat; ovesque inventas, non virga timoris, sed officio caritatis ad ovile congregare* (2). — Cor Nostrum ita patet ad vos: et quoniam alia nulla Nos movet ad hortandum caussa, nisi caritas Christi Iesu, in suam vos hereditatem vocantis, eadem vos ad respondendum moveat impellatque obsecramus.

II IUNII 1895.

tholicam enixe adhortatur.

Ad omnia quae proficiant ad eam, Pontifex paratus est,

exemplo Benedicti XIV, de Coptis optime meriti,

cujus usurpat verba charitatis plena.

Quae quum ita sint, si unitatis catholicae studia tota Aegypto quotidie invalescant, quique coepere boni fructus, uberius consequantur, tum vero poterit Alexandrina ecclesia, quod vos percupere significastis, ad praestantiam vete-

Ecclesiae Alexandrinae faustissima ominatur, si fuerit Romanae

1. *Philipp.*, I, 8. — 2. Pastoralis Instr. ad Coptos, *Eo quamvis tempore*, an. MDCCXLV.

iterum iuncta:

auspices adstent Sancti, Aegypti olim incolae,

ris prosperitatis fidenter niti; poterit iusta sibi et beneficia et ornamenta a romana Ecclesia, matre nunquam non amantissima, expectare.—Auspicia fauste emergentia benigne foveat Sanctorum praeclara cohors quos in caelum Aegyptus transmisit, beatissimusque Petrus atque carissimus ei Marcus, vestrae auctores iidemque patroni ecclesiae; maxime vero sanctissima Virgo MARIA, cui decus divinae matris Cyrillus idem constantia mirifica asseruit.

et ipsa SACRA FAMILIA.

Illud est denique exorandum, ut ipsa FAMILIA SACRA quae divino iussu regionem istam profuga invisit beavitque hospitem, atque in proavis illis vestris semina prima indidit caelestis doctrinae et gratiae, ea vos salutariter respiciat singulos universos, muneribusque priscae pietatis cumulatissime donet.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Iunii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Ignatium Benham Benni,

patriarcham antiochenum Syrorum

DE RECONCILIATIONE DISSIDENTIUM.

QUUM nuper litteras ad Nos dederis amoris et obsequii populorum Orientalium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem nuncias ac testes, officio functus es valde Nobis grato et consolationis fecundo. Spem Nobis sane optimam faciunt quod, sicut scribis, ad te Pastorem suum, Roma redeuntem, obviam se multitudo effuderit, quod non dubias observantiae et laetitiae significationes dederit, quod te de Nobis, de Petri Cathedra, et de Apostolicis Litteris exquisierit, quod demum christianae gentes a sinu complexuque Ecclesiae per summam calamitatem abstractae, monitis et cohortationibus Nostris aures adhibeant non invite. Quibus de rebus grates agendae sunt bonorum consiliorum auctori et adiutori Deo, cuius est praeferre lumen mentibus, et permovere voluntates. Ad Nos quod attinet, probe nosti quas suscepimus singulares curas ad christiani Orientis prosperitatem et gloriam. Ex quo facile intelligis te egregie facturum si de vigilantia et benevolentia Nostra in clerum et populum Orientalium ecclesiarum, etiam dissidentium, eos confirmaveris, et si Nostra communiaque catholicorum omnium vota iis significaveris. Quid autem catholicis hominibus potest esse magis in votis quam ut fratres, quibus, munere concessuque Dei, veritatis lumen semel affulsit, ad unitatem fidei reditum faciant, et participes sint salutis aeternae? Quod quidem ut feliciter eveniat, omnes impendendi sunt labores omniaque efficienda, non solum quae necessaria, sed etiam quae opportuna esse videantur. Atque ideo extruendae aedes divino cultui, aperiendae scholae ad institutionem puerilem, provehendae societates bonorum operum, instituta christianae caritatis excitanda. Nos siquidem in re tanti

I IULII 1895.

Laetatus Pontifex litteris a Patriarcha acceptis,

Orientales, etiam dissidentes, vult de sua benevolentia confirmari.

Dissidentium reconciliationi incumbant omni ope catholici,

Pontificis

momenti consilio vobis et ope non deerimus: iamque pridem ad sustentanda istic religionis et reconciliationis opera, misimus subsidia, nuperrimeque iterum misimus. Ceterum vim auxilii maximam expectemus et imploremus a Deo. Eo opitulante, confidimus vos facile ad laborem omnem duraturos, atque effecturos ut qui sunt a vobis divulsi, in amplexum vestrum revertantur, et Orientalis Ecclesia ad pristinam magnitudinem revirescat. Tibi interea, Venerabilis Frater, clero et populo tuae fidei commisso, itemque aberrantibus fratribus, auspicem caelestium munerum et singularis benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

et maxime Dei auxilio freti.

Datum Romae apud S. Petrum die I Iulii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Franciscum Picard

praepositum Augustinianorum ab Assumptione

DE HORUM MINISTERIIS IN ORIENTE.

ADNITENTIBUS Nobis, Dei auspicio et gratia, ut orientales gentes ad pristinam in Ecclesia catholica dignitatem resurgant, grata quidem obversatur cogitationi opera Religiosorum Ordinum qui eamdem in rem laboriose utiliterque iam diu contendunt. Hos inter, sua merito debetur laus isti quoque Sodalitati, cui digne tu praesides. Novimus enim multiplices curas quae sunt a vobis per eas regiones susceptae; quaeque eo sane fructuosiores eveniunt, quo maiore commendantur et studio divinae gloriae et fraterna erga dissidentes caritate. — Iamvero comprobationis Nostrae nullum videtur argumentum neque iucundius vobis neque optatius fore, quam si eiusdem studii operaeque vestrae utilitates vel latius in Orientalium bonum deducamus. Idque Nobis admodum placet; quo praesertim movemur proposito, efficiendi ut apud illos tum vetusta ritualis disciplina vigeat, tum etiam, quod caussae quam urgemus permagni interest, adolescentis aetatis institutio proba sit et conveniens. Huius rei gratiâ deliberatum est Nobis, sedes eas, quas ad Stamboul in urbe Constantinopoli, et ex adverso ad Kadi-Keuï, ubi Chalcedon fuit, habetis, accessione facta molitionum ampliari; eatenus scilicet ut loca instruantur sive ad cultum divinum sive ad docendum omnino apposita. — Quae vos consilia executuri, duplex tenete praescriptum. Alterum, ut in eis ipsis sedibus, praeter administrationem spiritualem quam vobis creditam volumus Latinorum, eamdem Graecorum geratis,sollemniaque officia utroque seorsum ritu apte et decore agenda curetis. Alterum, ut adolescentium commodis et ornamento quam optime consulatis, non solum animorum cultura consuetisque litteris, sed graecae etiam

2 IULII 1895.

Laudat Pontifex Augustinianos de rebus Orientis optime meritos,

ipsorumque consulens incremento,

statuit eorum sedes ad Stamboul et ad Kadi-Keuï esse ampliandas.

De administratione spirituali,

de ritibus,

de adolescentium institutione nonnulla

eos monet, linguae et historiae patriae eruditione impertita. Quorum vero indoles et voluntas spem bonam afferat ad ministeria sacrorum, ii diligentiae vestrae potiorem habebunt partem, ut accuratius ad pietatem, ad doctrinam, ad ritus suos informentur: illud namque ad proposita assequenda praesidium est vel maximum, clerum indigenam rite educi.

Omnia quemadmodum legitimo iure constituantur et rata sint, a Nobis iam est provisum. Vos interea sumite animos ex benevolentia et fiducia Nostra, quae voluntatis divinae est declaratio: eximiumque in hanc Apostolicam Sedem obsequium quod adhuc probastis, probare alacres pergite atque in dies augete. Hac vobis mente hoc studio laborantibus, aderit certe Deus frugifera ope propitius: neque deerunt, eo aspirante, qui uberiora praesidia ad coepta ipsa provehenda pii libentes submittant. Votorum sit auspex Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, universaeque Sodalitati effusam in Domino impertimus.

animumque eis addit

et benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die II Iulii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Card. Goossens, Arch. Mechlinien., et Belgii Episcopos

DE CAUSA SOCIALI IN BELGIO.

PERMOTI Nos praecipuâ quadam in nationem vestram benevolentia, atque complurium rogatu civium adducti, peculiares curas ad catholicos Belgas gravi in re convertimus. Plane intelligitis quo spectemus: ad caussam nempe *socialem*, quae ardentius inter ipsos agitata sic sollicitat animos, ut allevationem a Nobis curationemque exposcere videatur. Res ardua per se ipsam est, maioribusque apud vos difficultatibus implicita: ad eam tamen accedere non renuimus, qua maxime parte cum religione et cum officio muneris Nostri necessario cohaeret. Nam in hoc pariter institutorum genere, documenta sapientiae christianae, accommodate ad tempora et mores, iam pridem Nobis placuit impertire. Gratumque est commemorare non exiguam bonorum segetem et singulis et civitatibus inde partam, eamdemque spe praecipere in dies ampliorem. Etiam in catholicis Belgis, quorum sollertia ad huiusmodi instituta promovenda alacris in primis fuerat, fructus provenere; non adeo tamen ut iustae expectationi, tam aptâ praesertim regione et gente, congruerent. Quidnam rei obstiterit, satis cognitum est. Quum enim ipsi, consiliis licet bonis impulsi, aliam alii de hisce rebus sentiendi agendique rationem inierint, teneant; propterea factum, ut neque utilitatum expetita vis dimanare potuerit, neque catholicorum concordia integra permanere. — Hoc Nos aegre admodum ferimus dissensionis exemplum, novum quidem et male auspicatum apud catholicos Belgas; qui felicis animorum ac frugiferae coniunctionis praeclara specimina omni tempore ediderunt. Scilicet, ut facta repetamus non longinquae memoriae, luculenter id patuit in ea quaestione quae vocata est *scholaris*. Tunc enim cuiusvis ordinis catholicos

10 IULII 1895.

De causa sociali, quae in Belgio agitatur ardentius,

jam pridem Pontifex edidit documenta,

quae quominus afferrent apud Belgas sat uberes fructus, animorum impedivit discordia

dolenda multum atque stupenda.

quum admirabilis quidam concentus voluntatum generosaque virtus et actuosa inter se devinxisset, eius maxime beneficio concordiae successit res, cum dignitate religionis et adolescentiae salute.

In tanto periculo reconciliare animos studeant pro munere suo Episcopi

Iamvero pro vestra prudentia, Venerabiles Fratres, videtis ipsi, quam periculosas in offensiones greges vestros, distractis in diversa animis, proclive sit publice et privatim delabi; videtis, quam mature oporteat laborantibus rebus mederi. Nos autem, ut probe novimus quo studio exardescitis restituendae firmandaeque concordiae, vos potissimum ad hoc appellamus officium, tam gloriosum episcopo et sanctum : cuius quidem certiorem eventum vel ipsa suadet reverentia ampla quae dignitati vestrae virtutique istic merito adhibetur. Quamobrem illud videtur optimum factu, vobisque vehementer commendatum volumus, ut simul in congressionem, quam proxime fieri possit, conveniatis. In ea, communicatis inter vos sententiis, licebit caussam, quanta est, exploratius pleniusque cognoscere, ac meliora ad componendam praesidia deliberare. — Haec enim caussa non uno se modo recte considerantibus praebet. Attinet ea quidem ad bona externa, sed ad religionem moresque in primis attinet, atque etiam cum civili legum disciplina sponte copulatur; ut denique ad iura et officia omnium ordinum late pertineat. Evangelica porro iustitiae et caritatis principia a Nobis revocata, quum ad rem ipsam usumque vitae transferuntur, multiplices privatorum rationes attingere necesse est. Huc accedunt quaedam apud Belgas operum et industriae, dominorum et opificum, omnino propriae conditiones.

in unum congressi.

Exponit Pontifex quanti caussa socialis momenti sit,

et quomodo hac in re se gerere debeant Episcopi

Sunt ista magni certe momenti consiliique, in quibus iudicium elaboret ac diligentia vestra, Venerabiles Fratres; neque vero Nostra deesse vobis consilia in re praesenti sinemus. — Ita vobis, congressione peracta, minus operosum erit atque erit tutius, in vestra quemque dioecesi remedia et temperamenta pro hominibus locisque opportuna decernere. Quae tamen ipsa sic a vobis dirigi, civibus idoneis adiuvantibus, oportebit, ut eo amplius valeant inter catholicos totius nationis communiter; ut videlicet catholicorum

actio, iisdem profecta initiis, iisdemque viis, quoad fieri possit, deducta, explicetur ubique una, proptereaque et honestate praestet et robore vigeat et solidis redundet utilitatibus. *10 IULII 1895.*

Nequaquam vero id secundum vota fiet, nisi catholici, quod maximopere inculcamus, propriis ipsorum opinionibus studiisque posthabitis, ea studeant unice impenseque velint quaecumque verius ad commune bonum conducere videantur. Hoc est, efficere ut religio honore praecellat suo, virtutemque diffundat insitam, rei quoque civili, domesticae, oeconomicae mirifice salutarem: ut in auctoritatis publicae libertatisque, christiano more, conciliatione, stet incolume a seditione regnum ac tranquillitate munitum: ut bona civitatis instituta, maxime adolescentium scholae, in melius provehantur; meliusque sit commerciis atque artibus, ope praesertim societatum, quae apud vos numerantur vario proposito multae, quaeque augeantur optabile est, modo religione auspice et fautrice. Neque illud est ultimum, efficere ut qua plane decet verecundia obtemperetur summis Dei consiliis, qui in communitate generis humani esse iussit classium disparitatem et quamdam inter ipsas ex amica conspiratione aequabilitatem: ita, neque opifices observantiam et fiduciam ullo modo exuant in patronos, neque ab his quidquam erga illos desit iustae bonitatis curaeque providae. — His praecipuis rerum capitibus commune continetur bonum, cuius adeptioni danda opera est: hinc mortalis vitae conditioni solandae non vana fomenta suppetunt, ac merita parantur vitae caelestis. Quam christianae sapientiae disciplinam si catholici studiosius adamare atque exemplo roborare suo insistant, illud etiam facilius eveniet, quod est in spe, ut qui falsa opinione vel simulata rerum specie decepti, ab aequo rectoque deflexerant, tutelam et ductum Ecclesiae quaerant resipiscentes. *atque Fideles,* *ut communi consulatur bono.*

Nemo sane erit catholicus, aeque religionis patriaeque diligens, qui consultis prudentiae vestrae non placide acquiescere velit pleneque obsequi; hoc penitus persuaso, optima quaeque rerum incrementa, si sensim ac moderate inducta, tum vere ad stabilitatem fore maioremque esse in modum profutura. — Interea, quoniam incommodi quod *Episcoporum obsequium catholicis inculcat,* *hosque vult*

abstinere ab omni inter se de rebus hujusmodi controversia.

dolemus ea gravitas est quae cunctationem remedii non patiatur, hoc ipsum a sedatione animorum ducimus inchoandum. Quapropter, Venerabiles Fratres, catholicos Nostro nomine hortemini et admoneatis velimus, ut iam nunc de rebus huiusmodi, sive per conciones sive per ephemerides similiave scripta, omni inter se controversia et disceptatione prorsus abstineant, eoque magis mutuae parcant reprehensioni, neve ausint legitimae potestatis iudicium praevertere. Tum vero ad optatum rei exitum omnes unis animis et fraternis quam poterunt diligentiam et operam vobiscum conferre nitantur; praecedatque Clerus, cuius maxime est ad novitates opinionum se habere caute, mitigare religione et conciliare animos, de officiis christiani civis commonere.

Cleri partes his in rebus definit.

Confidit suis jussis Belgas obtemperaturos,

Illustrem Belgarum gentem singulari Nos caritate et cura iam diu complectimur; vicissim ab ipsa, cuius in anima religio calet avita, obsequii pietatisque complura oblata sunt testimonia. Ista igitur hortamenta et iussa, quibus eumdem animum libuit confirmare, minime dubium quin catholici filii Nostri eâdem voluntate accepturi sint religiosissimeque perfecturi. Neque enim profecto id unquam committent, ut quando, ex diuturna suae concordiae laude, eo religionis statu publice utuntur quem sibi talem plus unâ natio exoptet, hunc ipsi deminuisse improvidi discordiâ sua et labefactasse videantur. At vero id potius coniunctissimi agent ut consilia viresque omnes adversus *Socialismi* pravitatem convertant, a quo mala et damna maxima impendere perspicuum est. Nihil siquidem ille cessat in religionem et in rem publicam turbulenter moliri; humana aeque ac divina miscere iura, atque evangelicae providentiae excidere beneficia quotidie contendit. Calamitatem tantam saepenumero vox Nostra graviterque est persecuta; quod satis testantur praescripta et monita quae in Litteris ipsis *Rerum novarum* tribuimus. Itaque huc boni omnes, nullo partium discrimine, animos intendant oportet: ut nimirum pro christiana veritate, iustitia, caritate legitime propugnantes, sacras Dei sustineant patriaeque rationes, unde salus et felicitas publica efflorescit.

atque conjunctis viribus obsituros Socialismo.

Quarum rerum fiduciam et expectationem aequum est consilio praecipue sollertiâque vestra Nos velle innixam; propterea larga vobis divinae opis praesidia implorantes, Apostolicam benedictionem vobismetipsis et clero cuiusque ac populo peramanter impertimus. *10 IULII 1895. Benedicit.*

Datum Romae apud S. Petrum die X Iulii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CONGREGATIO SODALIUM A "SANCTISSIMO SACRAMENTO" IN PERPETUUM CONFIRMATUR.

12 AUG. 1895.

In praesentibus rerum angustiis, assiduae catholicorum preces et pia opera levamento sunt Pontifici.

AEGRITUDINI animi Nostri, ex tot tantisque Ecclesiae acerbitatibus conceptae, levamento est sane non mediocris pietas catholicorum hominum, qui Deum Redemptorem, maledictis iniuriisque violatum et lacessitum, assiduis supplicationibus piisque operibus student humano generi placare et propitiare. Consolatur enim Nos, et in spem melioris aevi adducit quod spiritus precum effundatur super domum David, et super habitatores Ierusalem : quod non minor sit in propugnatoribus catholici nominis recte factorum laus, quam in oppugnatoribus nequitia operum : quod demum ubi Ecclesiae Matri filii perduelles et impii afflictionis et moeroris caussam dederint, non desint filii amantes et studiosi, qui ei consolationem offerant et reparationem. Et revera notum satis est, hoc medium cursum tenente saeculo aliquantoque serius, nonnullos in Gallia infestissimos religionis hostes extitisse, qui ausi sunt, divina IESU CHRISTI reprobata natura, Sacramenti augusti, quo nihil est hominibus salutarius, elevare fidem et mysterium refutare. Adversus hos viri praestantes virtute, proposito sancti, in societatem coiverunt, qui nomen est inditum Congregatio Sanctissimi Sacramenti. Huiusmodi Institutum Lutetiae Parisiorum, auctore et patre legifero Petro Iuliano Eymard exigui instar seminis exortum est ; deinde secundo Dei numine auspiciisque decessoris Nostri fel. rec. Pii Papae IX celeriter visum est in utilem atque uberem segetem adolescere. Congregatio, tamquam hostia piacularis Deo devota, finem habet sibi propositum salutarem et sanctum, quem multiplici ratione assequi connititur, praecipue vero adoratione perpetua augusti Sacramenti e tentorio sublimis, quacum gratiarum actio, propi-

Initia refert Congregationis Ss. Sacramenti,

ejus finem exponit,

tiatio, atque impetratio recte coniungitur. Quid enim rectius quam ut homines summam Dei maiestatem humili et demisso animo, ut infirmi et mortalis par est, colant et venerentur ? Aequum autem est, ut maximorum beneficiorum, quae a Deo acceperunt quaeque accepturi sunt, memores extent, et de iis gratias agant gratumque animum profiteantur ; ut fratribus suis aberrantibus atque erroribus obcaecatis Deum placent ac propitium reddant, illisque ab eo veniam exorent ; ut denique omnia impetrent, quae ad aeternam animarum salutem non solum necessaria sunt sed etiam utilia atque opportuna. Illud autem Congregationi est propositum in adoratione perpetua sociam ac participem implorare magnam Virginem Dei Matrem, qua siquidem nemo scit vel potest maiori caritate in IESUM effundi : sacerdotes saeculares interdum in Congregationis diaetas velut in solitudinem sacri recessus invitare, eosque ad cultum Sacramenti augusti propagandum excitare ; pueros ad mysteria Eucharistica ex religionis disciplina erudire : in asceteriis, in paroeciis, in publicis privatisque templis inflammare animos, permovere voluntates ad sacram synaxim frequenter celebrandam, ad Sacramentum divini amoris crebro usurpandum : denique quidquid vel ex scientiis humanis, vel ex liberalibus artibus ad provehendum sanctissimi Sacramenti cultum aliquo modo valeat, conferre diligenter ut propositum adimpleatur. Cuius rei caussa statuta vel regulae Congregationi datae sunt, quarum prima verba « *Haec minima Sanctae Matris Ecclesiae Familia* », postrema vero « *in quo reperit et reliquit domum* », et quarum exemplar in tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus. Quum autem talis sit Congregationis finis, tales ut hunc adipiscantur rationes et media, facile intelligi potest qui spiritus afflet Sodalium animis, spiritus nimirum amoris, humilitatis, qua semetipsos abnegent absque sui proprio ; veritatis, simplicitatis, observantiae non solum erga Nos et hanc Apostolicam Sedem, verum etiam erga religionis Antistites et moderatores Congregationis. Quibus omnibus e rebus quum nuper Corrector summus Congregationis sanctissimi Sacramenti supplices ad Nos preces admoverit, ut

ipsamque in perpetuum confirmat.

quemadmodum decessor Noster recol. mem. Pius Papa IX dictam Congregationem ad tempus probavit, ita et Nos eam confirmare eiusque statuta et regulas sancire velimus, Nos qui nihil optare magis atque in votis habere solemus, quam ut Sacramentum Eucharistiae maius in dies singulos apud populos christianos incrementum capiat, huiusmodi preces benigne excipientes, Congregationem sanctissimi Sacramenti probamus, confirmamus in perpetuum, et rata omnia habemus, quaecumque memoratus decessor Noster de illa ad tempus sancivit et comprobavit. Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque inpraemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Augusti MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

C. CARD. DE RVGGIERO.

EPISTOLA

Ad J. B. Paganuzzi, Praesidem Comitatus Coetuum catholicorum,

DE COETIBUS CATHOLICIS IN ITALIA.

TAURINENSIUM civitas, cuius superiore anno in coetu Eucharistico celebrando emicuere studia, in eo iam est ut viros ex universa Italia delectos acturos de re catholica excipiat. Id quum nuper tuae litterae attulissent, haud inde exiguum gaudii solatiique fructum persensimus. Quam ob rem libenter admodum optatis vestris annuimus, hortationemque Nostram conferimus, ut coepta ad optimos veniant exitus, iisque pro religione utamini emolumentis, quae quisque merito cogitatione praecipit. — Quamvis autem quae vestra laudabilia sunt proposita ex oblato tractandorum indice patefiat, placet tamen nonnulla commemorare capita, ad quae ut animos attentius intendatis magnopere desideramus. — Quoniam enim experimento constat quanto sint usui catholicis utilitatibus qui dioecesani Comitatus dicuntur, hoc primum inculcandum ducimus ut hi numero ubique augeantur. Id Nos alias commendavimus : quamvis autem plerisque in regionibus desiderium Nostrum cum laude impletum est, at superest adhuc ubi suam catholici observantiam probent. — Hoc in genere praeclaram homines sacri cleri navare operam possunt ; quos quidem, ut Ecclesiae tempora modo sunt, hanc sibi adsciscere oportet ministerii partem, ut fidelium agmina ac voluntates nutu palam exemploque regant. — Illud praeterea libet diligentiis vestris iterum committere, quod iam superiori Ticinensi conventui impense inculcavimus, ut quae ubique vigent per Italiam cuiusque generis catholicae consociationes, libertate singularum incolumi, universae Congressuum catholicorum operi adhaereant ; id tamen non uno tenus nomine, verum etiam collatione studiorum ac strenua communium finium prosequutione.

24 AUG. 1895.

In conventu Taurinensi brevi celebrando

curent catholici Comitatus dioecesanos numero augendos,

universasque catholicas consociationes operi congressuum catholicorum aggregandas.

Quanta hinc catholicis viribus accessio sit obventura, nemo est qui non videat. — Demum, augescente temporum nequitia, fideles omnes hortamur ut preces assiduas adhibeant, quibus Deus exoratus misericordiam suam ostendat, et iracundiae suae flagella miseratus avertat, detque Nobis optata frui tranquillitate.

Interea paternae Nostrae dilectionis testem, divinorumque munerum auspicem, Apostolicam benedictionem habete, quam tibi, dilecte fili, et catholicis universis, qui in coetu aderunt, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Augusti MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Card. Langénieux, Archiep. Rhemensem,

DE CONTROVERSIA SUPER

FAMILIIS RELIGIOSIS GALLIAE.

26 AUG. 1895.

GRATAE admodum acciderunt litterae quibus, revertente die sancto Ioachimo sacra, faustitatem omnem Nobis es adprecatus. Novum in his dilexisti caritatis tuae testimonium, quod sane quum Nostram in te auget benevolentiam, tum non mediocri solatio moerentem animum afficit. Igitur exhibitum a te officium libenti complectimur voluntate. Quod autem datae litterae de controversiis innuunt, quae modo apud vos agitantur, teque habent sollicitum, Dei miserentis ope confidimus optatum tibi solatium adfuturum. Ceterum, ut nosti, controversiarum ipsarum definitionem sacrorum in Gallia Antistitibus ac Religiosorum, quorum interest, familiis permittendam censuimus, spe fulti sic vos consulturos, uti ad religiosae rei utilitatem maxime conferet. Nos interim, pacis ac tranquillitatis auspicem, praecipuaeque Nostrae dilectionis testem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, peramanter in Domino impertimus.

Gratum testatus animum ob Praesulis vota,

memorat Pontifex definitionem controversiae de familiis religiosis a se Episcopis ipsisque Religiosis fuisse permissam.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Augusti MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE ROSARIO MARIALI.

5 SEPT. 1895.

Gaudet Pontifex Dei Matris cultum in dies augeri,

ADIUTRICEM populi christiani potentem et clementissimam, Virginem Dei Matrem, dignum est et magnificentiore in dies celebrare laude et acriore fiducia implorare. Siquidem argumenta fiduciae laudisque auget ea varia beneficiorum copia, quae per ipsam affluentior quotidie in commune bonum longe lateque diffunditur. Nec beneficentiae tantae profecto a catholicis officia desunt deditissimae voluntatis; quum, si unquam alias, his nimirum vel acerbis religioni temporibus, videre liceat amorem et cultum erga Virginem beatissimam excitatum in omni ordine atque incensum. Cui rei praeclaro sunt testimonio restitutae passim multiplicataeque in eius tutela sodalitates; eius nomini augusto splendidae dedicatae aedes; peregrinationes ad sacratiora eius templa actae frequentiâ religiosissima; convocati coetus, qui ad eius gloriae incrementa deliberando incumbant; alia id genus, per se optima fausteque in futurum significantia. Atque id singulare est Nobisque ad recordationem periucundum, quemadmodum multiplices inter formas eiusdem pietatis, iam ROSARIUM MARIALE, ille tam excellens orandi ritus, in opinione et consuetudine latius invalescat. Id Nobis, inquimus, periucundum est, qui, si partem curarum non minimam promovendo Rosarii instituto tribuimus, probe videmus quam benigna optatis Nostris adfuerit exorata Regina caelestis: eamque sic Nobis confidimus adfuturam, ut curas quoque aegritudinesque lenire velit quas proximi allaturi sunt dies. — Sed praecipue ad regnum Christi amplificandum uberiora Nobis adiumenta ex Rosarii virtute expectamus. Consilia quae studiosius in praesentia urgemus, de reconciliatione esse dissidentium ab Ecclesia nationum, haud semel ediximus; simul professi, felicitatem eventus, orando obsecrandoque divino Numine, maxime quaeri oportere. Id etiam non multo antehac testati sumus, quum

Rosarii praesertim invalescente usu.

Dissidentium reconciliationem Fideles a Deo per Mariam efflagitent

per sollemnia sacrae Pentecostes, peculiares preces in eam caussam divino Spiritui adhibendas commendavimus : cui commendationi magnâ ubique alacritate obtemperatum est. At vero pro gravitate rei perarduae, proque debita omnis virtutis constantia, apte facit hortamentum Apostoli : *Instate orationi* (1) ; eo vel magis quod tali instantiae precandi suavius quoddam incitamentum bona ipsa coeptorum initia admovere videantur. Octobri igitur proximo nihil sane fuerit, Venerabiles Fratres, neque proposito utilius, neque acceptius Nobis, quam si toto mense vos populique vestri, Rosarii prece consuetisque praescriptis, Nobiscum apud Virginem Matrem pientissimi insistatis. Praeclarae quidem sunt caussae cur praesidio eius consilia et vota Nostra summâ spe committamus.

Octobri proximo.

Iure confidimus Mariae,

Eximiae in nos caritatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori : *Ecce filius tuus.* In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent : in qua sententia sanctus Anselmus cantuariensis : *Quid,* inquit, *potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater?* (2) Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Cenaculo auspiciis. Christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit ; verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae *conservabat in corde suo.* — Ad haec vero dici vix potest quantum amplitudinis virtutisque tunc accesserit, quum ad fastigium caelestis gloriae, quod dignitatem eius claritatemque meritorum decebat, est apud Filium assumpta. Nam inde, divino consilio, sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset

quippe quam nobis in Matrem Christus dedit :

quod quidem munus ipsa in Coenaculo auspicata,

implere non desinit in coelo :

1. *Col.*, IV, 2. — 2. *Or.* XLVII, *olim* XLVI.

pariter administra, permissâ ei paene immensa potestate. Hinc recte admodum ad Mariam, velut nativo quodam impulsu adductae, animae christianae feruntur; cum ipsa fidenter consilia et opera, angores et gaudia communicant; curaeque ac bonitati eius se suaque omnia filiorum more commendant. Hinc rectissime delata ei in omni gente omnique ritu ampla praeconia, suffragio crescentia saeculorum: inter multa, ipsam *dominam nostram, mediatricem nostram* (1), ipsam *reparatricem totius orbis* (2), ipsam *donorum Dei* esse *conciliatricem* (3). — Et quoniam munerum divinorum, quibus homo supra naturae ordinem perficitur ad aeterna, fundamentum et caput est fides, ad hanc ideo assequendam salutariterque excolendam iure extollitur arcana quaedam eius actio, quae *Auctorem* edidit *fidei*, quaeque ob fidem *beata* est salutata: *Nemo est, o sanctissima, qui Dei cognitione repleatur, nisi per te; nemo est qui salvetur, nisi per te, o Deipara; nemo, qui donum ex misericordia consequatur, nisi per te* (4). Neque is nimius certe videbitur qui affirmet, eius maxime ductu auxilioque factum ut sapientia et instituta evangelica, per asperitates offensionesque immanes, progressione tam celeri ad universitatem nationum pervaserint, novo ubique iustitiae et pacis ordine inducto. Quod quidem sancti Cyrilli alexandrini animum et orationem permovit, ita Virginem alloquentis: *Per te Apostoli salutem gentibus praedicarunt... ; per te Crux pretiosa celebratur toto orbe et adoratur... ; per te fugantur daemones, et homo ipse ad caelum revocatur; per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis; per te fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque ecclesiae sunt ubivis gentium fundatae* (5). — Quin etiam *sceptrum orthodoxae fidei*, prout idem collaudavit doctor (6), praestitit illa valuitque: quae fuit eius non intermissa cura ut fides catholica perstaret firma in populis atque integra et fecunda vigeret. Complura in hoc sunt satisque cognita monumenta rerum, miris praeterea modis nonnunquam declarata. Qui-

Unde maxima in christianis animis oriturfiducia benevolentiae piae Matris.

Ipsa Fidei propagandae faulrix

inde ab Ecclesiae ortu,

atque sceptrum orthodoxae fidei exstitit,

eique

1. S. Bernardus *serm.* II *in Adv. Domini, n.5.* — 2. S. Tharasius, *or. in praesent. Deip.* — 3. *In offic. graec.*, VIII *dec.*, Θεοτοκίον *post oden* IX. — 4. S. Germanus constantinop. *or.* II *in dormit. B. M. V.* — 5. *Hom. contra Nestorium.* — 6. *Ib.*

bus maxime temporibus locisque dolendum fuit, fidem vel socordia elanguisse vel peste nefaria errorum esse tentatam, magnae Virginis succurrentis benignitas apparuit praesens. Ipsâque movente, roborante, viri extiterunt sanctitate clari et apostolico spiritu, qui conata retunderent improborum, qui animos ad christianae vitae pietatem reducerent et inflammarent. Unus multorum instar Dominicus est Gusmanus, qui utrâque in re elaboravit, marialis Rosarii confisus ope, feliciter. Neque dubium cuiquam erit quantum redundet in eamdem Dei Genitricem de promeritis venerabilium Ecclesiae Patrum et Doctorum, qui veritati catholicae tuendae vel illustrandae operam tam egregiam dederunt. Ab ea namque, *sapientiae divinae Sede*, grato ipsi fatentur animo copiam consilii optimi sibi defluxisse scribentibus ; ab ipsa propterea, non a se, nequitiam errorum esse devictam. Denique et Principes et Pontifices romani, custodes defensoresque fidei, alii sacris gerendis bellis, alii sollemnibus decretis ferendis, divinae Matris imploravere nomen, nunquam non praepotens ac propitium senserunt. — Quapropter non vere minus quam splendide Ecclesia et Patres gratulantur Mariae : *Ave, os perpetuo eloquens Apostolorum, Fidei stabile firmamentum, propugnaculum Ecclesiae immotum* (1); *Ave, per quam inter unius, sanctae, catholicae atque apostolicae Ecclesiae cives descripti sumus* (2) ; *Ave, fons divinitus scaturiens, è quo divinae sapientiae fluvii, purissimis ac limpidissimis orthodoxiae undis defluentes, errorum agmen dispellunt* (3) ; *Gaude, quia cunctas haereses sola interemisti in universo mundo* (4).

Ista quae Virginis excelsae fuit atque est pars magna in cursu, in proeliis, in triumphis fidei catholicae, divinum de illa consilium facit illustrius, magnamque in spem bonos debet omnes erigere, ad ea quae nunc sunt in communibus votis. — Mariae fidendum, Mariae supplicandum ! Ut enim christianas inter nationes una fidei professio concordes habeat mentes, una perfectae caritatis necessitudo copulet

5 SEPT. 1895.

multum confisi sunt viri apostolico spiritu clari,

necnon Patres Ecclesiae et Doctores,

Principes christiani, et Pontifices romani;

ideoque Mariae Ecclesia et Patres splendide gratulantur.

Ad nationes christianas in Fide et Charitate conjungendas maximo B. M. Virginem adjumento fore confidit Pontifex,

1. *Ex hymno Graecor.* Ἀκάτιστος. — 2. S. Ioannes Damasc. *or. in annunc. Dei Genitricis*, n. 9. — 3. S. Germanus constantinop. *or. in Dei praesentatione*, n. 14. — 4. *In off. B. M. V.*

voluntates, hoc novum exoptatumque religionis decus, sane quam illa poterit virtute sua ad exitum maturare. Ecquid autem non velit efficere, ut gentes, quarum maximam coniunctionem Unigena suus impensissime a Patre flagitavit, quasque per unum ipse baptisma ad eamdem *hereditatem salutis*, pretio immenso partam, vocavit, eo omnes *in admirabili eius lumine* contendant unanimes? Ecquid non impendere ipsa velit bonitatis providentiaeque, tum ut Ecclesiae, Sponsae Christi, diuturnos de hac re labores soletur, tum ut unitatis bonum perficiat in christiana familia, quae suae *maternitatis* insignis est fructus? — Auspiciumque rei non longius eventurae eâ videtur confirmari opinione et fiducia quae in animis piorum calescit. Mariam nimirum felix vinculum fore, cuius firma lenique vi, eorum omnium, quotquot ubique sunt, qui diligunt Christum, unus fratrum populus fiat, Vicario eius in terris, Pontifici romano, tanquam communi Patri obsequentium. Quo loco sponte revolat mens per Ecclesiae fastos ad priscae unitatis nobilissima exempla, atque in memoria Concilii magni ephesini libentior subsistit. Summa quippe consensio fidei et par sacrorum communio quae Orientem atque Occidentem per id tempus tenebat, ibi enimvero singulari quadam et stabilitate valuisse et enituisse gloria visa est; quum Patribus dogma legitime sancientibus, *sanctam Virginem esse Deiparam*, eius facti nuncium a religiosissima civitate exultante manans, unâ eademque celeberrima laetitia totum christianum orbem complevit. — Quot igitur caussis fiducia expetitarum rerum in potente ac perbenigna Virgine sustentatur et crescit, tot veluti stimulis acui oportet studium quod catholicis suademus in ea exoranda. Illi porro apud se reputent quam honestum hoc sit sibique ipsis fructuosum, quam eidem Virgini acceptum gratumque certe futurum. Nam, compotes ut sunt unitatis fidei, ita declarant et huius vim beneficii se magni pro merito facere, et idem se velle sanctius custodire. Nec vero queunt praestantiore ullo modo fraternum erga dissidentes probare animum, quam si eis ad bonum recuperandum unum omnium maximum enixe subveniant. Quae vere christiana fraternitatis affectio, in omni vigens Eccle-

quippe quae olim ab Ephesinis Patribus, toto plaudente orbe, Virgo Deipara *conclamata est.*

Catholicos adhortatur ut pro dissidentibus B. M. Virginem exorent.

fraternitatis affectionem sic

siae memoria, praecipuam virtutem consuevit petere ex Deipara, tamquam fautrice optima pacis et unitatis. Eam sanctus Germanus constantinopolitanus his vocibus orabat : *Christianorum memento, qui servi tui sunt : omnium preces commenda, spes omnium adiuva ; tu fidem solida, tu ecclesias in unum coniunge* (1). Sic adhuc est Graecorum ad eam obtestatio : *O purissima, cui datum accedere ad Filium tuum nullo metu repulsae, tu eum exora, o sanctissima, ut mundo pacem impertiat et eamdem ecclesiis omnibus mentem adspiret : atque omnes magnificabimus te* (2). — Huc propria quaedam accedit caussa quamobrem nobis, dissentientium nationum gratiâ comprecantibus, annuat Maria indulgentius : egregia scilicet quae in ipsam fuerunt earum merita, in primisque orientalium. Hisce multum sane debetur de veneratione eius propagata et aucta : in his commemorabiles dignitatis eius assertores et vindices, potestate scriptisve gravissimi ; laudatores ardore et suavitate eloquii insignes : *dilectissimae Deo imperatrices* (3), integerrimam Virginem imitatae exemplo, munificentia prosecutae ; aedes ac basilicae regali cultu excitatae. — Adiicere unum libet quod non abest a re, et est Deiparae sanctae gloriosum. Ignorat nemo, augustas eius imagines ex oriente, variis temporum casibus, in occidentem maximeque in Italiam et in hanc Urbem, complures fuisse advectas : quas et summa cum religione exceperunt patres magnificeque coluerunt, et aemula nepotes pietate habere student sacerrimas. Hoc in facto gestit animus nutum quemdam et gratiam agnoscere studiosissimae matris. Significari enim videtur, imagines eas perinde extare apud nostros, quasi testes temporum quibus christiana familia omnino una ubique cohaerebat, et quasi communis haereditatis bene cara pignora : earumdem propterea adspectu, velut ipsa Virgine submonente, ad hoc etiam invitari animos, ut illorum pie meminerint quos Ecclesia catholica ad pristinam in complexu suo concordiam laetitiamque amantissime revocat.

Itaque permagnum unitatis christianae praesidium di-

5 SEPT. 1895.

aemulaturi quae inde ab initio viguit in Ecclesia.

Dissidentes nunc nationes olim optime de B. M. V. sunt meritae, eisque succurret pia Mater pro ipsis exorata.

Exstant ex Oriente in Occidentem advectae imagines Mariae, monentes nos ut ipsam pro dissidentibus imploremus.

Nullae

1. *Or. hist. in dormit. Deiparae.* — 2. *Men.* v *maii* Θεοτοκίον *post od.* IX *de S. Irene V. M.* — 3. S. Cirill. alex. *de fide ad Pulcheriam et sorores reginas.*

ad B. M. Virginem preces effundi possunt Rosario efficaciores ad unitatem christianam reparandam ;

vinitus oblatum est in Maria. Quod quidem, etsi non uno precationis modo demereri licet, attamen instituto Rosarii optime id fieri uberrimeque arbitramur. Monuimus alias, non ultimum in ipso emolumentum inesse, ut prompta ratione et facili habeat christianus homo quo fidem suam alat et ab ignorantia tutetur errorisve periculo : id quod vel ipsae Rosarii origines faciunt apertum. Iamvero huiusmodi quae exercetur fides, sive precibus voce iterandis, sive potissimum contemplandis mente mysteriis, palam est quam prope ad Mariam referatur. Nam quoties ante illam supplices coronam sacram rite versamus, sic nostrae salutis admirabile opus commemorando repetimus, ut, quasi praesenti re, ea explicata contueamur, quorum serie et effectu extitit illa simul Mater Dei, simul mater nostra. Utriusque magnitudo dignitatis, utriusque ministerii fructus vivo in lumine apparent, si quis Mariam religiose consideret mysteria gaudii, doloris, gloriae cum Filio sociantem. Inde profecto consequitur ut grati adversus illam amoris sensu animus exardescat, atque caduca omnia infra se habens, forti conetur proposito dignum se matre tanta beneficiisque eius probare. Hac autem ipsa mysteriorum crebra fidelique recordatione quum ea non possit non iucundissime affici, et misericordiâ in homines, longe omnium matrum optima, non commoveri, idcirco diximus Rosarii precem peropportunam fore ut fratrum caussam dissidentium apud ipsam oremus. Ad spiritualis maternitatis eius officium proprie id attinet. Nam qui Christi sunt, eos Maria non peperit nec parere poterat, nisi in una fide unoque amore : numquid enim *divisus est Christus* (1) ? debemusque unâ omnes vitam Christi vivere, ut in uno eodemque corpore *fructificemus Deo* (2). Quotquot igitur ab ista unitate calamitas rerum funesta abduxit, illos oportet ut eadem mater, quae perpetua sanctae prolis fecunditate a Deo aucta est, rursus Christo quodammodo pariat. Hoc plane est quod ipsa praestare vehementer optat ; sertisque donata a nobis acceptissimae precis, auxilia *vivificantis Spiritus* abunde illis impetrabit. Qui utinam miserentis matris voluntati obsecundare ne renuant, suaeque con-

1. *I Cor.*, I, 13. — 2. *Rom.*, VII, 13.

sulentes saluti, boni audiant blandissime invitantem : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (1). — Tali marialis Rosarii virtute perspecta, nonnulli fuere decessores Nostri qui singulares quasdam curas eo converterunt ut per orientales nationes dilataretur. In primis Eugenius IV, constitutione *Advesperascente* anno data MCCCCXXXIX, tum Innocentius XII et Clemens XI ; quorum auctoritate item privilegia ampla Ordini Praedicatorum, eius rei gratiâ, sunt attributa. Neque fructus desiderati sunt, Sodalium eiusdem Ordinis contendente sollertia ; iique extant multiplici et clara memoria testati : quamquam rei progressibus diuturnitas et adversitas temporum non parum deinde offecit. Hac vero aetate idem Rosarii colendi ardor quem initio excitatum laudavimus, similiter per eas regiones animis multorum incessit. Quod sane Nostris quantum respondet inceptis, tantum votis explendis perutile futurum speramus. — Coniungitur cum hac spe laetabile quoddam factum, aeque Orientem attingens atque Occidentem, eisdemque plane congruens votis. Illud spectamus propositum, Venerabiles Fratres, quod in pernobili Conventu eucharistico, Hierosolymis acto, initium duxit, templi videlicet exaedificandi in honorem Reginae sacratissimi Rosarii ; idque Patrae in Achaia, non procul a locis, ubi olim nomen christianum, ea auspice, eluxit. Ut enim a Consilio quod rei provehendae curandoque operi, probantibus Nobis, constitutum est, perlibentes accepimus, iam plerique vestrum rogati, collaticiam stipem omni diligentia in id submiserunt ; etiam polliciti, se deinceps non dissimiliter adfore usque ad operis perfectionem. Ex quo satis iam est consultum, ut ad molitionem quae amplitudini rei conveniat, aggredi liceat : factaque est a Nobis potestas ut propediem auspicalis templi lapis sollemnibus caeremoniis ponatur. Stabit templum, nomine christiani populi, monumentum perennis gratiae Adiutrici et Matri caelesti : quae ibi et latino et graeco ritu assidue invocabitur, ut vetera beneficia novis usque velit praesentior cumulare.

5 SEPT. 1895.

ideoque a pluribus olim Romanis Pontificibus fuit in Oriente propagatus cultus Rosarii,

nostra quidem aetate multum ibi invalescens.

Laete recolit Pontifex in conventu eucharistico Hierosolymitano propositum initum fuisse templi in honorem Reginae SS. Rosarii exaedificandi :

1. *Gal.*, IV, 19.

Pastores et gregem ad indefessum Beatae Virginis cultum, proximo praesertim mense, exhortatur et instantissimas preces ad Mariam effundit pro catholicis et dissidentibus.

Iam venerabiles Fratres, illuc unde egressa est Nostra redit hortatio. Eia, pastores gregesque omnes ad praesidium magnae Virginis, proximo praesertim mense, fiduciâ plena confugiant. Eam publice et privatim, laude, prece, votis compellare concordes ne desinant et obsecrare Matrem Dei et nostram : *Monstra te esse Matrem !* Maternae sit clementiae eius, familiam suam universam servare ab omni periculo incolumem, ad veri nominis prosperitatem adducere, praecipue in sancta unitate fundare. Ipsa catholicos cuiusvis gentis benigna respiciat ; et vinculis inter se caritatis obstrictos, alacriores faciat et constantiores ad sustinendum religionis decus, quo simul bona maxima continentur civitatis. Respiciat vero benignissima dissidentes, nationes magnas atque illustres, animos nobiles officiique christiani memores: saluberrima in illis desideria conciliet et conciliata foveat eventuque perficiat. Eis qui dissident ex oriente, illa etiam valeat tam effusa quam profitentur erga ipsam religio, tamque multa in eius gloriam et praeclara facta maiorum. Eis qui dissident ex occidente, valeat beneficentissimi patrocinii memoria, quo ipsa pietatem in se omnium ordinum, per aetates multas eximiam, et probavit et muneravit. Utrisque et ceteris, ubicumque sunt, valeat vox una supplex catholicarum gentium, et vox valeat Nostra, ad extremum spiritum clamans : *Monstra te esse Matrem !*

Benedicit.

Interea divinorum munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, singulis vobis cleroque ac populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die V Septembris MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Archiep. Naupactensi, delegato apostolico ad foederatas Americae civitates, DE VITANDIS COETIBUS CUM ACATHOLICIS.

18 SEPT. 1895.

COETUS in foederatis Americae civitatibus celebrari subinde novimus, in quos viri promiscue conveniant tum e catholico nomine, tum ex iis qui a catholica Ecclesia dissident, simul de religione rectisque moribus acturi. In hoc equidem studium agnoscimus religiosae rei, quo gens ista ardentius in dies fertur. At quamvis communes hi coetus ad hunc diem prudenti silentio tolerati sunt, consultius tamen videatur si catholici homines suos seorsum conventus agant: quorum tamen utilitas ne in ipsos unice derivetur, ea lege indici poterunt, ut aditus ad audiendum universis pateat, iis etiam qui ab Ecclesia catholica seiunguntur. Haec tibi, Venerabilis Frater, dum pro munere apostolatus duximus significanda, placet simul Sacerdotum Paullianorum institutum commendatione Nostra provehere. Quibus id ratum sapienter est, ut dissidentes fratres palam alloquantur, tum catholicis dogmatibus illustrandis, tum contra illa obiectis refellendis. Horum usum ac frequentationem sermonum si singuli sacrorum Antistites in sua quisque dioecesi promoveant, gratum Nobis acceptumque eveniet, non enim inde exiguum in animorum salutem emolumentum oriturum confidimus. Tibi interim, Venerabilis Frater, divinarum gratiarum munera adprecati, Apostolicam benedictionem, praecipuae Nostrae dilectionis testem, amantissime impertimus.

Non probat Pontifex catholicos cum acatholicis convenire de religione rectisque moribus acturos.

Pateat, si libuerit, acatholicis conventuum catholicorum aditus ad audiendum.

Sacerdotum Paullianorum institutum commendatur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Septembris MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Card. Rampolla, Status Secretarium,

DE INVASIONE URBIS IMPIE CELEBRATA

ELAPSO AB HAC XXV ANNO.

Signor Cardinale,

8 OCT. 1895.

Queritur Pontifex de sibi illatis injuriis ab Ecclesiae hostibus,

LE insolite manifestazioni politiche, delle quali è spento appena per le vie della città l'ultimo suono, Ci tragono a indirizzarle su tale argomento qualche parola, non tanto a sfogo dell'animo contristato, quanto a fine di rilevare la gravità del fatto, e gli intendimenti che lo ispirarono. — Veramente per quel senso d'umanità insieme e di decenza che alberga anche negli animi presi dalla passione, non Ci pareva soverchio lo sperare un riguardo almeno alla Nostra canizie. Si volle invece andar oltre ruvidamente : di guisa che siamo stati condotti a questo, di dover essere quasi immediati testimoni all'apoteosi della rivoluzione italiana e della conseguente spogliazione della Santa Sede. Famigliari, per divino favore, alla sofferenza e al perdono, mettiamo da un canto l'affronto recato alla persona : molto più che a lenire la presente Nostra amarezza accorse spontanea la pietà delle genti cattoliche ; e segnalossi tra queste l'Italia per protestazioni generose e testimonianze d'affetto preziosissime. Ma quel che Ci commove e trafigge, si è la solennità dell'offesa alle ragioni della Sede Apostolica e l'evidente proposito di perpetuare, anzichè comporre, un conflitto, di cui niuno può misurare i calamitosi effetti. — La gravità del fatto, palese per sè medesima, riceve luce purtroppo dalle confessioni degli artefici ed encomiatori di esso. Col glorificare, nel modoche s'è veduto, il successo del settanta, hanno avuto in mira anzitutto di assodare i frutti della conquista, e fare intendere all'Italia e al mondo che il Pontefice, quanto è da loro, deve rassegnarsi ormai alla cattivita senza speranza di re-

qui sic produnt animum in impugnatione S. Sedis perseverandi.

denzione. E qui non è tutto. Hanno voluto inoltre fare un passo di più verso un ideale essenzialmente antireligioso. Poichè lo scopo ultimo della occupazione di Roma, non diciamo nella mente di quanti vi cooperarono, ma delle sètte che ne furono i primi motori, non è, o almeno non è tutto nel compimento dell'unità politica. No : quell'atto di violenza, che ha pochi esempî nella storia, doveva nei decreti settarî servire come mezzo ed esser preludio di un assunto più tenebroso. Se si stese la mano a squarciare le mura della metropoli civile, fu fatto per meglio battere in breccia la città sacerdotale : e per sortire l'intento di assalire da vicino la potestà spirituale de' Papi, incominciossi dall'abbatterne quel propugnacolo terreno. Insomma quando vennero ad imporsi al popolo romano, a questo popolo che tenne fede al suo principe sino all' ultimo, resistendo vigorosamente a possenti e diuturne tentazioni venute di fuori, essi recavano il concetto ben fermo di mutare le sorti della città privilegiata, trasfigurarla, tornarla pagana: ciò che fu denominato in loro gergo, dar vita ad una terza Roma, d'onde irradierebbe come da centro, una terza civiltà. E infatti si diede e si dà opera più che non paia ad attuare il funesto disegno. Son cinque lustri che, guardandosi attorno, Roma vede padroni del campo gli oppugnatori delle istituzioni e delle credenze cristiane. Diffusa ogni più malvagia dottrina : vilipesi impunemente la persona e il ministero del Vicario di Dio : contrapposto al dogma cattolico il libero pensiero, e alla Cattedra di Pietro il seggio massonico. E appunto a questo insieme nefasto d'idee e di fatti si è preteso novellamente di dar sembianza di dritto ed essere di stabilità, mediante il suggello di una nuova legge e le clamorose manifestazioni che secondarono, capitanate a viso aperto dalla setta nemica di Dio. È forse questo il trionfo della causa italiana, o non piuttosto l'avvenimento della apostasia ?

Ostendit, eversa civili romani Pontificis potestate, ipsos jam niti abolere spirituale,

novam ut condant Romam christianae Urbi adversam.

La giustizia è sicura del trionfo finale, come Roma della immutabilità de' suoi alti destini. Ma intanto quella è sopraffatta, a questi si attraversa la congiura di congreghe perverse e l'opera dissennata di chi le favorisce. E che pro

Triumphum de hostibus demum acturam Ecclesiam

affirmat; at in praesenti res Italiae pessum ire multum dolet.

ne coglie la nazione ? L'acquisto di Roma fu preconizzato ai popoli italici come albóre di salute e auspicio di prosperità futura. Non cercheremo se gli avvenimenti abbiano avverata la promessa dalla parte de' beni materiali. Ma certo il compiuto acquisto ha diviso moralmente l'Italia, invece di unirla. È poi un fatto, che in questo mezzo pigliarono viepiù ardire le cupidigie d'ogni maniera, si allargò all' ombra del giure pubblico l'immoralità del costume, e il conseguente affievolimento della fede religiosa : moltiplicarono i prevaricatori delle leggi umane e divine : crebbero di numero e di forza i partiti eccessivi, le schiere fremebonde, congiurate a sovvertire dalle fondamenta gli ordini civili e sociali.

Bellum sacrilegum in dies ingravescere, nec ad S. Sedis libertatem legum quarumdam cautiones sufficere ostendit.

E tra l'ingrossare di tanti guai, non che quietare, inasprisce la guerra a quel divino instituto, nel quale dovrebbe riposare la speranza del maggiore e più sicuro rimedio. Vogliamo dire alla Chiesa, e particolarmente al suo Capo visibile, a cui fu rapita insieme col principato civile l'autonomia non meno convenevole alla dignità del pontefice, che necessaria alla libertà dell' apostolico ministero. Ed è vano il ricorso a spedienti legislativi : nessuna maniera di provvedimenti giuridici potrà mai conferire indipendenza vera senza giurisdizione territoriale. La condizione che pur affermano d'averci guarentita, non è quella che Ci è dovuta e Ci bisogna : essa non è indipendenza effettiva, ma apparente ed effimera, perchè subordinata al talento altrui. Questa foggia d'indipendenza, chi la diè, la può togliere : ieri la sancirono, ponno cassarla domani. E non fu in questi giorni medesimi chiesta da un lato, e fatta intravvedere minacciosamente dall' altro l'abrogazione di quelle che chiamano guarentigie del pontefice ? Ma non minaccie, non sofismi, nè invereconde accuse d'ambizione personale riusciranno a far tacere in Noi la voce del dovere. Qual è, qual doveva essere la guarentigia vera della indipendenza papale fu potuto antivedere sin da quando il primo Cesare cristiano si avvisò di trapiantare a Bisanzio la sede dell' impero. Da quel tempo insino alle età a noi più vicine, niuno mai fu visto assidersi in Roma di quanti furono arbitri delle cose italiane. Così ebbe nascimento e vita lo stato della Chiesa,

Principatus sui civilis necessitatem utilitatemque multiplicem exponit,

non per opera di fanatismo, ma per disposizione di Provvidenza, accogliendo in sè i migliori titoli che possano rendere legittimo il possesso di un principato, vale a dire l'amore riconoscente di popoli beneficati, il dritto delle genti, l'assenso spontaneo del mondo civile, il suffragio dei secoli. Nè lo scettro in mano ai Pontefici fu d'impaccio al pastorale. Scettro infatti portavano quei Nostri antecessori, che rifulsero per santità di vita ed eccellenza di zelo. E sono essi medesimi che pure furono sovente chiamati a comporre i più ardui litigi: che opposero vittoriosamente alle esorbitanze dei potenti il petto fortissimo: che salvarono all'Italia in pericolosi fragenti il tesoro della fede, e propagarono dall' orto all'occaso la luce della cristiana civiltà, i benefizî dell' umano riscatto. E se oggi, nonostante le condizioni malagevoli e dure, prosegue il Papato tra la riverenza delle genti la sua via, non lo si arrechi al manco di quel presidio umano, ma sì veramente all' assistenza della grazia celeste, che non fallisce mai al sommo sacerdozio cristiano. Fu opera forse delle persecuzioni imperiali il meraviglioso incremento della Chiesa adolescente?

8 OCT. 1895.

Denique gratiae, non vero praesentibus rebus tribuendam dicit gentium in S. Sedem observantiam.

Queste cose vorremmo che meglio fossero comprese dal senno pratico degli Italiani. Non parliamo dei fuorviati per erronee dottrine o legami di setta; ma degli altri, ei quali tuttochè immuni da quei legami, nè ciechi seguaci di quelle dottrine, fa velo la passione politica. Veggano essi quanto sia opera perniciosa e stolta contrastare ai veraci disegni della Provvidenza, e ostinarsi in un dissidio non profittevole che alle mene di fazioni audacissime, e più ancora ai nemici del nome cristiano. L'essere stata eletta fra mille a custodire il seggio apostolico, fu privilegio singolarissimo e gran ventura per la nostra penisola: e ogni pagina della sua storia testifica quanta copia di beni e quali incrementi di gloria le venner oognora dalle immediate cure del pontificato romano. Sarebbe forse mutata l'indole di esso o affievolita l'efficacia? Si trasmutano le cose umane, ma la benefica virtù del magistrato supremo della Chiesa viene dall'alto ed è sempre la medesima; con questo di più che, essendo esso ordinato a durare quanto i secoli, tiene dietro con amorosa vigilanza

Ostendit S. Sedem de Italia optime semper meritam.

in posterumque meriturum.

al cammino dell'umanità, nè ricusa, come sognano i suoi detrattori, di attemperarsi quanto è possibile ai ragionevoli bisogni dei tempi. — Se, porgendoci docile orecchio, attingessero gl'Italiani dalle tradizioni avite e dalla coscienza de' loro veri interessi il coraggio di scuotere il giogo massonico, apriremmo l'animo alle più liete speranze in ordine a questa caramente diletta terra italiana. Ma quando avvenisse l'opposto, Ci duole il dirlo, non sapremmo presagire che nuovi pericoli e maggiori rovine.

Exoptat ut Itali, Massonum excusso jugo, S. Sedi obsequantur.

Con effusione di particolare affetto le impartiamo, signor Cardinale, l' Apostolica benedizione.

Dal Vaticano 8 Ottobre 1895.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PATRIARCHATU ALEXANDRINO

COPTORUM.

CHRISTI Domini, Redemptoris humani generis, auctoris conservatorisque Ecclesiae, assidue Nos et caritatem divinam intueri et salutare provehere opus pro muneris Nostri sanctitate contendimus. Gratiamque ei debemus plurimam atque ex animo profitemur, quod Nobis in eas incumbentibus curas quae ad nomen catholicum sive inferendum reducendumve in populos sive stabiliendum in illis augendumque attinerent, suis ipse auspiciis praesentique ope tam benignus adfuerit. Cui etiam acceptum singulari modo referimus, quasdam biennio proximo oblatas esse temporum maturitates, quibus instituta catholici nominis incrementa licuerit Nobis studio impensiore atque opera persequi. Providentiae autem rationes quas in eam rem adhibere visum est, datis praesertim qua universe qua singillatim epistolis apostolicis, haud vacuae sane fructu, divina fovente gratia, cesserunt: atque adeo Nos eumdem insistentes cursum, laetiorem quotidie votorum eventum fidenti cogitatione prospicimus. — Nunc inter ceteras nationem atque ecclesiam Coptorum complectimur peramanter, destinatumque habemus peculiaria quaedam in eius bonum et ornamentum ex apostolica potestate decernere.

26 NOV. 1895.

Gratum erga Deum animum testatur Pontifex ob laetos sacri muneris sui fructus.

Coptorum Ecclesiae amantissimus,

Copticam gentem paucis ante mensibus allocuti sumus epistolâ propria, et vetera ecclesiae Alexandrinae monumenta commemorando excitavimus; idque duplici consilio, ut nimirum ex benevolentia atque hortatione Nostra quum catholici confirmarentur in coniunctione et fide erga Apostolicam Sedem, tum vero dissidentes ad eamdem coniunctionem invitarentur quaerendam et renovandam. Utrâque ex parte fuit Nobis quod caperemus conceptae spei solatium. Catholici in primis, ut aequum erat, maximum Nobis obsequium ac pietatem in morem filiorum testati sunt, iidem

nuper ad illos litteras dedit catholicos simul et dissidentes compellans.

Missa deinde a Coptis

catholicis ad S. Sedem legatione

praeterea grati quod episcopum e gente sua, Vicarii apostolici munere, secundum vota dedissemus, Venerabilem Fratem Cyrillum, titulo Caesareae Paneadis. Quin etiam suae voluntatis apertius declarandae caussâ, id propositum susceperunt ut publicam ad Nos mitterent legationem: quo nihil certe poterat neque ipsis honestius esse neque Nobis iucundius. — Septembri igitur mense coram fuit legatio Coptorum, ex variis nationis ordinibus, ipso Venerabili Fratre praeeunte, delecta. Ab ea perlibentes cognovimus praeclare affirmatum quo studio, qua reverentia, qua obtemperatione erga hanc beatissimi Petri Cathedram, nomine etiam suorum civium, affecti essent : permovitque intimos paternae caritatis sensus, qua ipsi fiducia suis item rebus ac dissidentium fratum exposcerent a Nobis et expectarent ampliora praesidia. Atque illud praecipuum fore significaverunt, magnisque et humillimis precibus flagitarunt, si decreto auctoritatis Nostrae Hierarchia catholica et Patriarchalis dignitas apud Aegyptios instaurata resurgeret. — Aequam afferri et non inopportunam postulationem plus una persuasit caussa. Constat enim rei catholicae progressus non exiguos quotidie per Aegyptum haberi ; clericos et sacerdotes nativos, quod plurimum interest, numero augeri; scholas iuventutis similiaque rectae institutionis subsidia multiplicari : vigere acrius in animis religionis amorem et cultum, atque fructus consentaneos largius provenire. In quo alacrem cleri operam valde quidem iuvant et sustinent nonnullae Religiosorum Familiae: ac sua debetur laus Franciscalibus, qui iam diu per ea loca elaborant, suaque debetur Alumnis Societatis IESU et Missionalibus Lugdunensibus, quos Nosmetipsi auxilio submittendos curavimus. — Iamvero si Hierarchia in eis vel partim renovetur certique praeficiantur pastores, ex maiore ipsa atque expeditiore vigilandi providendique facultate, multiplex profecto utilitas in clerum ac populum dimanabit. Patriarchalis porro dignitas optime valitura est tum amplitudine sua ad decus ecclesiae Coptae catholicae in opinione relevandum, tum ingenita vi ad vincula fidei et fraternitatis in omni natione obstringenda. — Nos autem re tota meditate perpensa,

de Hierarchiae et Patriarchalis dignitatis instauratione,

Pontifex eorum postulationem duxit opportunissimam, inspectis nempe rei catholicae per Aegyptum incrementis,

variisque utilitatibus ex illa instauratione orituris.

eademque deliberata cum Consilio seu *Commissione* Cardinalium S. R. E., quam ad reconciliationem dissidentium cum Ecclesia fovendam iussimus Nobis adesse, ei ipsi Coptorum postulationi obsecundare censuimus. *26 NOV. 1895.*

Restituit igitur Patriarchatum Alexandrinum catholicum,

Itaque ad maiorem divini Nominis gloriam, ad fidei sanctae et communionis catholicae incrementum, Nos ex certa scientia motuque proprio ac de plenitudine apostolicae potestatis, Patriarchatum Alexandrinum catholicum restituimus et pro Coptis constituimus ; eique ac singulis qui ipsum obtenturi sint, honores omnes, privilegia, praerogativas, nomina, omnemque potestatem tribuimus, eâdem ratione qua generatim ea nunc a Patriarchis orientalibus rite exercetur : qua super re peculiaria praescripta ab Apostolica auctoritate tempore et loco impertientur. Sedi autem patriarchali sedes episcopales duas, in praesens, decernimus suffraganeas ; alteram in urbe Hermopoli maiore, vulgo *Minieh*, alteram Thebis seu Diospoli magna, ad urbem *Luksor :* ita ut Patriarchatus tribus interea dioecesibus constet, videlicet patriarchali Alexandrina, Hermopolitana, Thebana : integro tamen Nobis et successoribus Nostris pleno ac privativo iure sedes alias vel archiepiscopales vel episcopales excitandi, easque pro necessitate vel utilitate Ecclesiae immutandi.

eique sedes episcopales duas decernit suffraganeas.

Limites Patriarchatus Alexandrini,

Alexandrinum Coptorum Patriarchatum ita constitutum, eatenus patere qua patet proregnum seu *Kedivatus* Aegypti proprie dictae ac provinciae *praedicationis sancti Marci*, statuimus atque sancimus. — Limites autem singularum dioecesium quas supra diximus, hoc modo definire placet. Patriarchalis Alexandrina Aegyptum inferiorem et urbem Cairum complectitur. Ad aquilonem habet mare Internum seu Mediterraneum ; ad orientem, canalem Suesii ; ad austrum, latitudinis borealis gradum trigesimum ; ad occasum, Tripolitanam Othomanici imperii provinciam. — Dioecesis Hermopolitana in Aegyptum mediam profertur. Ad septentrionem finitima est dioecesi patriarchali ; ad orientem attingit sinum Heroopoliticum ; ad meridiem, continetur circulo fere medio inter gradus vigesimum septimum et vigesimum octavum latitudinis borealis, ubi scilicet locus

dioecesisque Hermopolitanae

iacet *Sacci-t-mousse* ad Nilum flumen, qui pariter locus in ditione esto eiusdem dioecesis ; ad occidentem habet desertum Libycum. — Dioecesis Thebana, in Aegyptum superiorem porrecta, circumscribitur ad aquilonem Hermopolitanâ ; ad orientem, sinu Arabico ; ad austrum vegesimo secundo gradu latitudinis borealis ; ad occasum, deserto Libyco.

atque Thebanae definiuntur.

Patriarchae et Episcoporum prima designatio reservatur S. Sedi.

Designationis primae tum Patriarchae tum suffraganeorum Episcoporum Apostolicae huic Sedi ius reservamus. Interim, quoadusque ea designatio fiat, mandamus ut catholicorum coptici ritus, quotquot tota Aegypto versantur, penes eumdem Venerabilem Fratem Cyrillum, nomine et auctoritate apostolica, administratio permaneat.

Laetatur Pontifex restitutam esse sedem S. Marci, Petri discipuli,

Ita posse Nos de Patriarchatu Alexandrino pro Coptis restituendo providere, vehementer laetamur in Domino ; eoque magis quia eius recordatio ecclesiae tam grata accidit quam quae gratissima. Nam propterea quod eam Marcus, beatissimi Petri discipulus et interpres, auspicato constituit sancteque gubernavit, arctior quaedam et praeclarior necessitudo exorta est, quam alias commemoravimus, ipsam inter et Romanam ecclesiam; cuius potissimum coniunctionis beneficio extitit illa pernobilis, floruitque diu et splendore virtutum et doctrinae excellentia. Quare Nobis est optatissimum ut dissentientes Copti Hierarchiam catholicam ex veritate coram Deo considerent ; eam nimirum, quae ob communionem cum Cathedra Principis Apostolorum et successoribus eius, sola potest ecclesiam a Marco conditam legitime referre, solaque heres est memoriae omnis quaecumque Patriarchatui Alexandrino a priscis illis maioribus est fideliter tradita. Ex eo fiat, id quod rectus ipsorum animus et divinae gratiae benignitas sperare admodum iubent, ut dimissis tandem compositisque dissidiis quae consecutae intulere aetates, ad unitatem redire velint Romanae ecclesiae, quae permagno eos desiderio caritatis expectat.

dissidentesque hortatur ad obsequium Hierarchiae catholicae.

Praesentium litterarum auctoritatem vindicat.

Has litteras Nostras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque

effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis praeeminentiae inviolabiliter observari debere decernimus. Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus, universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis : quibus omnibus, quatenus opus sit, amplissime derogamus : irritumque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. 26 NOV. 1895.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo quinto, sexto Calendas Decembres, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

A. CARD. BIANCHI
PRO-DATARIVS

C. CARD. DE RVGGIERO

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CVGNONI

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE REBUS ARMENIAE.

29 NOV. 1895.

EUROPA omnis, suspensis expectatione ac sollicitudine animis, ad propiorem Orientis plagam contuetur, intestinis offensionibus et luctuosis fessam casibus. Acerbum revera dolendumque spectaculum, infecta sanguine oppida, civitates : ferro flammisque ingentes pervastati tractus. — Dum viri principes, quae eorum summa laus est, collatis invicem consiliis, modum cladibus et securam incolumitatem innoxiis laborant exposcere, Nos quidem nequaquam omittimus, quantum est in Nobis, pro eadem caussa nobilissima iustissimaque contendere. Videlicet ante hos ipsos novissimos casus, niti pro gente Armenia animo libentissimo studuimus, imploratque excelsi Principis auctoritate, concordiam, mansuetudinem, aequitatem suasimus. Quae quidem consilia Nostra haud sane visa displicere. Coepta persequi, propositum est : nihil enim tam cupimus, quam ut in maximi imperii finibus sua cuique incolumitas, suaque iura omnia salva, ut oportet, et sancta sint. Interea Armenorum afflictis fortunis tempestivum solatium a Nobis ne deesset, opem ferre egenis maturavimus, quos maxime calamitas perculisset.

Armeniae gentis calamitates dolet Pontifex, eique se variis industriis opitulatum esse exponit.

Nostra autem erga Armenos studia, testimonium et fructus amplissimae caritatis sunt, qua prosequimur gentes ex Oriente universas : quibuscum, ut probe nostis, adiumenta salutis sempiternae, quaecumque in potestate sunt Ecclesiae catholicae, communicare quidem et volumus et conamur. Idcirco, qui Nobiscum de fide discrepant, revocare ad concordiam ; qui conveniunt, devincire Nobiscum coniunctius, itemque iuvare omni ope atque ornare ingressi sumus.

Benevolum erga Orientales animum testatus,

Hac voluntate consilioque litteras Apostolicas nuperrime dedimus, ex quibus facile perspiciatur, quae mens Nobis erga Coptos, qui animus. Nimirum cum eorum pietatem et rei catholicae per Aegyptum explorata incrementa habere-

memorat a se litteras ad Coptos datas, sedemque

mus, instaurandam Hierarchiam coptico ritu, dignitatemque pro Coptis patriarchalem Sedi Alexandrinae, quam Marcus evangelista nobilitavit auctor idemque pontifex, restituendam curavimus. *Alexandrinam restitutam esse.*

Amplissimum ordinem vestrum, Venerabiles Fratres, suppleturis, adlegere visum est ex Italia atque Imperio Austriaco, ex Gallia Hispaniaque viros egregios, quos Cardinalatus honore hodierna die augeremus. In dignitate episcopali sunt omnes : iidemque gravitate et integritate morum, doctrinae laude, rerum usu, muneribus sapienter gestis, de re christiana, de Sede Apostolica optime meriti. Hi autem sunt ADOLFVS LVDOVICVS ALBERTVS PERRAVD, Episcopus Augustodunensis, quem S. R. E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus anno millesimo octingentesimo nonagesimotertio, die decimosexto Ianuarii, in Consistorio : *Cardinales creantur.*

SILVESTER SEMBRATOWICZ, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum :

FRANCISCVS SATOLLI, Archiepiscopus Tit. Naupactensis, Legatus Apostolicus ad foederatas Americae Septentrionalis civitates :

IOANNES HALLER, Archiepiscopus Salisburgensis :

ANTONIVS MARIA CASCAJARES Y AZARA, Archiepiscopus Vallisoletanus :

HIERONYMVS MARIA GOTTI, Archiepiscopus Tit. Petrensis, Internuntii Apostolici munere in Brasilia functus :

IOANNES PETRVS BOYER, Archiepiscopus Bituricensis :

ACHILLES MANARA, Episcopus Anconitanus et Humanus :

SALVATOR CASAÑAS Y PAGÉS, Episcopus Urgellensis.

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra publicamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem

ADOLFVM LUDOVICVM ALBERTVM PERRAVD

Insuper creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

SILVESTRVM SEMBRATOWICZ
FRANCISCVM SATOLLI
IOANNEM HALLER
ANTONIVM MARIAM CASCAJARES Y AZARA
HIERONYMVM MARIAM GOTTI
IOANNEN PETRVM BOYER
ACHILLEM MANARA
SALVATOREM CASAÑAS Y PAGÉS

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

Ad L. Eygenraam, script. ephemerid. "De Tijd"

DE RE CATHOLICA IN NEERLANDIA SCRIPTIS PROMOVENDA.

EGREGIUM sane id est atque bonorum comprobatione dignum, quod anno iam exeunte quinquagesimo ex quo istius Ephemeridis initia sunt posita, hanc vos memoriam habere et celebrare faustam velitis. Nuncius rei accidit Nobis iucundum. Novimus enim quae proposita, inde a primordiis, scriptores eius tenuerint, et quas ediderint multis modis utilitates. In observantia nimirum ac disciplina Ecclesiae matris omni fide constantes, sic rationes dignitatemque rei catholicae assidue spectaverunt, ut ea simul studiose curarint quaecumque ad rei civilis vel honestatem vel prosperitatem conducerent. Ipsorumque praeclara est laus, tum de Hierarchia instauranda, gravissimo quidem negotio, prudenter feliciterque contendisse, tum pro veritate institutisque catholicis adversus multiplicem errorem saeculi magno opere propugnasse. — Haec autem quae dicimus, superiora praesertim tempora respicientes, volumus eadem ad vos pari iure conversa, dilecti filii, qui priorum vestigiis religiose ingressi, eadem atque illi studia animo erecto profitemini aemulâque actione iamdiu probatis. Et quoniam vobis est optatissimum, expectationi Nostrae cumulatiore in dies fructu respondere, hoc ipsum minime profecto defuerit, si vos caussa religionis, quae boni communis eadem est caussa, defensores habere pergat non modo ardore animi strenuos, sed etiam iis praesidiis maxime confidentes, quae divina Evangelii praescripta atque huiusce Apostolicae Sedis documenta peropportune suppeditant. — In quo facile quidem videtis, res ut sunt apud vos, muneris vestri officium non ultimum esse, omni occasione diligenter uti qua liceat firmamentum admovere lumenque afferre animis de religione sollicitis. Hinc spem

15 DEC. 1895.

Memorat Pontifex priores scriptores Ephemeridis De Tijd *bene de re catholica et civili esse meritos,*

gaudetque illorum vestigiis insistere recentiores,

hosque ut provehant S. Sedis consilia de dissidentium recon-

ciliatione adhortatur.

ex hac vita excesserunt. Illis autem, qui, domi detenti, per alios a se missos, vel per eleemosynas, vel alio modo suffragati fuerint cuilibet e peregrinationibus memoratis, et illis etiam qui spiritu iuncti cum peregrinantibus sibi indicant aliquem mortificationis aut pietatis actum quotidie exercendum, tempore quo respectiva peregrinatio perduraverit, nempe abstinentiam aliquam, Missae auditionem, exercitium Viae Crucis, recitationem Rosarii, vel septem psalmorum poenitentialium, aut alicuius e parvis officiis approbatis, plenariam indulgentiam concedimus lucrandam ad libitum uno e diebus festis durante respectivae peregrinationis spatio occurrentibus. Quo vero consultum sit earumdem peregrinationum tempori, concedimus ut quotidie in navi, servatis servandis, sacrum fieri possit, et sacra petentibus communio distribui. Potestatem pariter facimus moderatori pro tempore cuiusque peregrinationis in posterum peragendae et aliquot sacerdotibus ad confessiones approbatis, ab eodem designandis, excipiendi peregrinantium confessiones. Pro mulieribus tamen, excepto aegrarum decumbentium casu, volumus adhiberi, ut in exedris, apto in loco ponendam cratem, quae sacerdotem a poenitente seiungat. Et ne peregrinantes careant beneficio exercitii Viae Crucis tum in navi, tum ubi illa non habeatur canonice erecta, concedimus ut ipsi lucrari valeant indulgentias omnes eidem exercitio adnexas, si illud obeant coram praelata vectibili Cruce. Quum vero ad loca sancta pervenerint, indulgemus ut peregrinantes apud unumquodque sanctuarium quod visitaverint, eas omnes indulgentias assequi valeant, quas lucraturi forent si praecipuo eiusdem sanctuarii festo interessent. Quod si alicuius ex iis sanctuariis angustiae nec universos fortasse admittant peregrinos, nec sinant sacerdotes omnes peregrinantes ibi sacrum facere, decernimus ut respectivae peregrinationis moderator rem agat cum Patriarcha Hierosolymitano, cui, dummodo locorum mores, et incolarum ingenium istaec citra ullam offensionem perfici patiantur, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, facultatem committimus, impertiendi veniam ex qua Missae sub aperto caelo ibi fieri, servatis servandis, queant, et sacra

Nonnullas alias decernit gratias a peregrinantibus assequendas in via

vel ubi ad sancta loca pervenerint.

peregrinis Eucharistia diriberi, ita ut per haec indulgentiae visitationi illius sanctuarii adnexae perinde acquirantur, ac si sanctuarium fuisset reapse visitatum. Tandem, de Apostolicae similiter potestatis Nostrae plenitudine,praesentium vi, itemque in perpetuum, in sanctuarium quod ante memoravimus, Hierosolymae erectum, Nostrae Dominae Galliarum, indulgentiam plenariam transferimus Virginis Sepulchro adnexam, quod a schismaticis detinetur et gravi absque discrimine a piis peregrinantibus visitari nequit. Haec concedimus atque indulgemus, decernentes praesentes Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

18 APRILIS 1896.

Praesentium litterarum auctoritatem vindicat.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVIII Aprilis MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

C. CARD. DE RUGGIERO.

EPISTOLA

Ad Hungariae Episcopos

DE SAECULARIBUS REGNI SOLEMNIBUS.

I MAII 1896.

INSIGNES Deo aeterno grates totâ Hungaria singularibus cum laetitiis agendas iure vos optimo decrevistis. Deo quippe, statori providentissimo et conservatori regnorum, si qua unquam natio, vestra maxime referre debet vim magnam beneficiorum, non pauca iam saecula difficilesque per casus, acceptam : quibus recolendis celebrandisque beneficiis peraptum obvenit tempus, patriae vestrae natali felicissime redeunte. In eo namque estis ut annum numeretis millesimum ex quo maiores illi domicilia sedesque suas istis in regionibus collocaverunt, atque res coepit Hungarica. — Constituta sollemnia nihil dubitamus quin dignum plane exitum honestissimaeque fecundum utilitatis sint habitura. Neque enim esse ullus potest sincera caritate civis, quem non decora tangant communis patriae, et cui non acres admoveat imitandi stimulos avita rerum gestarum gloria publice revocata. Ad haec accessio nobilis fiet ex consentiente suffragio excultarum quotquot sunt gentium, quae gaudia vestra amice consociantes, regnum certe gratulabuntur aptis legibus institutisque conditum, civili prudentia et virtute bellica conservatum, multis egregie factis in hanc provectum diuturnitatem et amplitudinem. — Nobismetipsis tam iucunda accidit faustitas vestra quam quae iucundissima, nec quidquam optatius est quam vobiscum, Venerabiles Fratres, praesentes in populo vestro mente animoque versari. Facit hoc praecipue tum Nostra erga Hungariam catholicam peculiaris propensio et cura, tum vero ipsius in hanc Apostolicam Sedem atque in Nos plane studiosa voluntas, crebris significationibus declarata. Inter cetera, postremis hisce annis frequentes Hungaros Roma vidit, vobis rite ducentibus, ad sepulcra Apostolorum Principum venerabundos; vidimus Nos coram

Approbat Pontifex constituta esse saecularia solemnia quibus rei Hungaricae initia celebrentur,

ex illisque uberes proventuros esse fructus confidit.

Testatus suum de futuris solemnibus gaudium, recolit officiorum vicissitudinem Hungaros inter et Apostolicam Sedem, speratque per praesentes litteras auctum iri

effusos, quum testimonia fidei, obsequii, amoris, communi popularium nomine, exhiberent pulcherrima. Nec defuit eis benevolentia Nostra et opportunae exhortationis alloquium, ut animos in officiis sanctae professionis confirmaremus: quamquam id consulto uberiusque praestitimus nationi universae, litteris ad vos semel atque iterum datis. Nunc autem, quandoquidem commeminisse iuvat qua verecundia et gratia clerus bonique omnes illa paterni animi argumenta acceperint, rursus ad vos, interpres caritatis Nostrae, haec epistola adveniat; quae, favente Deo, saecularis celebritatis et laetitiam augeat et fructus multiplicet.

celebritatis gaudium atque fructus.

In tota rerum serie, quarum apud vos commemoratio cultu magnifico apparatur, religionis catholicae ea omnino elucet atque eminet virtus, quae optima est incolumitatis publicae conciliatrix bonorumque omne genus parens vel fautrix in populis. Sane, quod prudentiores vestrarum rerum scriptores aiunt, occupatas istic regiones natio Hungarorum nec diu nec prospere tenuisset, nisi eam doctrina et gratia evangelica, iugo superstitionis exemptam, monendo ac mitigando, ad illa adduxisset, iura gentium vereri, laedere neminem, clementiam induere, colere studia pacis, principibus tanquam Deo subesse, fraternitatem domi forisque exercere. — Admirabili modo, in GEIZA duce et in primoribus gentis, catholicae fidei apud vos consecrata sunt initia; agente in primis sancto episcopo ADALBERTO, viro apostolicis laboribus et martyrii denique laurea clarissimo. Quae quidem initia tanto praestantiora extiterunt, quanto et tempora et loca periculosius patebant funesto cum Ecclesia romana dissidio ab orientalibus erumpenti. Coepta patris institit perfecitque STEPHANVS, christianus princeps spectatissimi exempli, divinae in vos benignitatis consiliis magno animi et operae ardore obsecutus. Qui merito gentis vestrae firmamentum praecipuum ac lumen ideo salutatur, quod eam, religionis verae beneficio, non modo ad sempiternae adeptionem salutis, summum bonorum omnium, instruxit, sed ceteris etiam expetendarum rerum praesidiis, auxit et nobilitavit. Eo ipso principe, qui pietate excelsa sceptrum suum augustae Dei Matri et beatissimo Petro oblatum

Rei Hungaricae multum profuisse religionem catholicam exponit.

Memorat Geizam ducem a S. Adalberto conversum ad Fidem,

et S. Stephanum optime meritum de gente sua,

quae quidem clarum aemulata

principem, Sedi Apostolicae et catholicae Fidei devotissimam se semper praestitit.

dedicatumque voluit, inita est inter romanos Pontifices et reges populumque Hungariae illa studiorum officiorumque vicissitudo, quae a Nobis alias est collaudata. Eiusdem coniunctionis sacratum quasi vinculum ad perpetuitatem fuit corona regia, Christi Servatoris et Apostolorum iconibus distincta, quam Stephano Silvester II decessor Noster dono misit, quum regium ei attribuit nomen, quod apud vos *Christi fidem longe lateque diffuderit* (1). Illud autem est commemoratu dignum, quod simul Hungarorum comprobat in obsequio Petri constantiam, ut scilicet eadem corona varias gravesque temporum procellas salva pertulerit, pristino fulgens honore, perinde semper habita religioseque custodita tamquam regni decus maximum et praesidium.

Probat Pontifex eos qui curant exponendas per futura solemnia partes Ecclesiae in rei Hungaricae incrementis.

Eiusmodi auspiciis factum est, ut crescens opibus Hungaria easdem ingressa sit vias quibus populi incedebant christianae Europae adolescentis, et proprium generis ingenium, validum erectumque, eo felicius ad omnem virtutis humanitatisque appulerit laudem. Inde, praeter commoda et ornamenta cetera, haud exiguus provenit hominum numerus, qui sanctitate vitae, doctrina, litteris, artibus, gestis muneribus, semetipsos et patriam verissime illustrarunt. — Atque rem sane optimam ii moliuntur, qui, ut allatum est, talium religionis promeritorum selectam copiam, monumentis ex oblivione et silentio eductis, in lucem per sollemnia ipsa proferendam oculisque exponendam curant. Porro monumenta litterarum, quum vestra, tum ea quibus apostolica Nostra tabularia abundant, summa consensione illud testantur quod permagni interest, praesertim hoc tempore, reputare. Videlicet quales fuerint apud maiores vestros Ecclesiae partes in iure publico sive constituendo sive administrando: eius certe sapientia, disciplina, aequitas cunctis ordinibus libentissimis, usquequaque influxit. —

Ostendit de civili gentis libertate bene meritos esse Pontifices romanos,

Civilis praeterea libertatis, pro qua populus vester nunquam destitit propugnare, Pontifices romani tutores vindicesque se, quodcumque illa in periculum ac discrimen vocata est, vel rogati vel ultro praebuerunt. Id saepius olim accidit; tunc in primis quum impetus acerrimorum fidei sanctae

1. Clemens XIII P. M. in alloc. *Si qui militari*, die 1 oct. an. MDCCLVIII.

hostium oportuit refutari. Qua in parte nemo quidem unus non consenserit, clades teterrimas, quae simul plerisque ex occidente populis imminebant, Hungarorum constantiâ invicta esse depulsas; nulli tamen obscurum est, ad eam eventuum felicitatem decessores Nostros contulisse multum, suppeditata pecunia, missis auxiliis, conciliatis foederibus, praesidio caelesti exorato. Id potissimum praestitit Innocentius XI; cuius perennat nomen, ab utroque clarum insigni facto, liberatâ nempe circumsedentibus infeste armis Vindobona, et Buda, urbe primaria vestra, post diutinam oppressionem magnifice vindicata. — Item Gregorio XIII immortale in gentem vestram stat meritum. Quum enim et istic, ob studia novarum rerum ex finitimis infusa populis, religio graviter laboraret, saluberrimum ille consilium, quod iam aliis pro nationibus sapienter liberaliterque perfecerat, idem pro Hungaria, tamquam *insigni et amplo christiani orbis membro*, suscepit. Scilicet collegium vobis in Urbe condidit, quod deinde Germanico adiungendum censuit, in quo delecti alumni ad doctrinas virtutesque sacerdotio dignas exquisitius instituti, operam ecclesiis vestris fructuosiorem aliquando navarent: id quod non intermissa ubertate evenit, multis etiam eductis qui episcopalem gradum magna laude parique Ecclesiae et civitatis decore tenuerunt.

1 MAII 1896.

in primis Innocentium XI.

Memorat a Gregorio XIII conditum in Urbe collegium pro Hungaris.

Isthaec Nos similiaque beneficia quae continuâ Ecclesiae gratia sunt in genus vestrum profecta, libentes agnovimus non tam esse patriis consignata fastis, quam in animis civium alte manere insculpta. Instar omnium locuples testis est, inde a saeculo quinto decimo, Ioannes ille Hunyades, cuius consilium et fortitudinem nunquam Hungaria non efferet memor: is igitur grate diserteque affirmavit: *Haec patria, nisi stetisset fide, opibus, reor, non fuisset statura:* eodemque regni moderatore, ordines cuncti, communi ad Nicolaum V epistola, professi sunt: *Utcumque sumus Apostolica maxime gratia enutriti consistimus.* Quibus testificationibus tantum abest ut consecutae aetates quidquam ademerint ponderis, ut non minimum potius addidisse, beneficiis auctis, videantur. — Emergitque in Hungaris, quemadmodum id semper magno opere enisi sint, praeci-

Verba Ioannis Hunyadis, atque epistola ordinum regni ad Nicolaum V, testantur Ecclesiam de Hungaris optime meritam.

Hungarorum regnum

Apostolicae Sedi fuisse deditissimum edicunt complura ex actis publicis,

puaeque sibi duxerint gloriae, ut regnum suum Apostolicae Sedi, tamquam *peculiare et deditissimum*, quam maxime obstrictum tenerent. Huic rei complura quidem ex actis publicis suffragantur; vel litterae a regibus et optimatibus ad Pontifices romanos summa cum pietate perscriptae, vel exempla magnanimae strenuaeque virtutis, quae, ante etiam quam contra irruentes Mahometanorum copias contenderet, suppetias venit Ecclesiae, ad iura eius tutanda ulciscendasve perduellium iniurias. At, ne fusius ea persequamur, satis loquuntur quae multis modis intercessere officia regi Ludovico Magno cum Innocentio VI et Urbano V, plena fidei et observantiae, plena benevolentiae et laudis. Eaque sunt commemorabilia quae Matthias rex Paulo II rescripsit, adhortanti ut nomini catholico, ab Hussitis in Bohemia afflicto, ope valida subveniret: *Ego me*, inquit, *sanctae romanae Ecclesiae et vestrae Beatitudini, una cum regno meo totum dedicavi. Nihil mihi tam arduum, nihil adeo periculosum Dei in terris Vicarius, immo Deus ipse iubere potest, quod suscipere non pium et salutare existimem, quod non intrepidus aggrediar, praesertim ubi de solidanda fide catholica et de contundenda perfidia impiorum agitur... Quibuscumque religionis hostibus occurrere opus est, ecce Matthias simul et Hungaria... Apostolicae Sedi et vestrae Beatitudini devoti manent, aeternumque manebunt.* Nec vero vel regis dictis vel Pontificis expectationi res defuit; manetque posteritati gravissimum documentum. — Huc praeterea spectant, tamquam fidelis admodum voluntatis praemia, eae commendationes non paucae nec mediocres, quibus ab hac Sede Apostolica dignatum est genus vestrum; singulares item honores ac privilegia, quae vestris regibus ab ipsa sunt impertita. Libet autem Nobis, praesentemque celebritatem omnino addecet, illustriorem quamdam paginam excitare ex amplo diplomate, quo Clemens XIII Mariae Theresiae, reginae Hungariae, eique in eodem regno successuris *appellationem Regis Apostolici*, privilegio vel consuetudine inductam, pro potestate confirmavit. Hoc igitur Pontificis praeconio, ut iam patres atque avi, nepotes ipsi fruantur: « ... Florentissimum Hungariae regnum, ad christianae

necnon variae commendationes quibus a S. Sede gens Hungarorum dignata est.

Refertur ex diplomate Clementis XIII ad Mariam Theresiam illustrior pagina.

« ditionis et gloriae terminos proferendos, vel propter belli- « cosissimae gentis fortitudinem omnium aptissimum, vel « propter locorum naturam opportunissimum adhuc quidem « semper habitum est et fuit. Neque vero quisquam ignorat « quam multa et quam egregia facinora pro tuenda propa- « gandaque IESU CHRISTI religione gessit nobilissima « Hungarorum gens; quam saepe manus conseruit cum « teterrimis hostibus, iisdemque ad communem christianae « reipublicae perniciem erumpentibus suo veluti corpore « aditum interclusit, maximasque de illis victorias reporta- « vit. Celebrantur ea quidem fama, clarissimisque prodita « sunt monumentis litterarum. At silentio nullo modo prae- « terire possumus Stephanum illum sanctissimum fortissi- « mumque Hungariae principem, cuius memoriam caelesti- « bus honoribus consecratam atque in Sanctorum numero « collocatam rite veneramur. Eius autem virtutis, sanctitatis, « fortitudinis vestigia extant istis in locis ad laudem Hun- « garici nominis sempiternam. Neque eius pulcherrima « exempla virtutum reliqui in regno successores non sunt « perpetuis temporibus imitati. Quamobrem nemini mirum « videri debet, si romani Pontifices Hungaricam nationem « eiusdemque principes et reges, ob maxima et egregia « illorum erga catholicam fidem et romanam Sedem merita, « amplissimis semper laudibus ac privilegiis condecorave- « rint. Quale est illud in primis sane honorificum, quod ante « reges, quando prodeunt in publicum, tamquam splendi- « dissimum Apostolatus insigne, Crux praeferatur, idque « ut ostendatur Hungaricam nationem atque eius reges « gloriari unice in Cruce D. N. IESU CHRISTI; atque in eo « signo pro catholica fide et dimicare semper et vincere « consuevisse (1). »

1 MAII 1896.

Iamvero, quamquam tam praeclaris hominum ac rerum recordationibus sollemnia commendari vestra magnisque laetitiae significationibus exornari perpulcrum est, res tamen ipsa suadet ut aliquid spectetur amplius, quod fluxum non sit idemque communi bono solida afferat incrementa.

Adhortatur Pontifex Hungaros, regni sui laudes celebraturos, ut nitantur

1. Epist. *Quum multa alia* die XIX aug. an. MDCCLVIII.

in primis religiosissimorum patrum aemulari exempld.

Caput est, ut se respiciat Hungaria: et conscientia nobilitatis religiosissimorum patrum impulsa, nec ignara temporum, ad proposita digna nitatur. Vos nimirum, cuiuscumque ordinis estis, appellat cohortatio Apostoli: *State in fide, viriliter agite et confortamini* (1): eique concinat sane oportet una mens omnium et vox: *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* (2); *Non inferamus crimen gloriae nostrae* (3). — Saeculi cursum universe contuentibus dolendum certe, Venerabiles Fratres, homines passim esse, eosque in sinu Ecclesiae nutritos, qui religionem catholicam neque opinione neque actione vitae proinde colant ac digna est, paremve propemodum faciant cuilibet religionis formae, atque etiam suspectam invisamque habeant. Vix autem attinet dicere quale illud sit, praestantissimam hanc patrum hereditatem degeneri sensu repudiare, et quam ingrati sit improvidique animi beneficia eius, tum diu parta agnoscere nolle, tum in posterum expectanda negligere. Siquidem in sapientia institutisque catholicis virtus et efficientia inest, prout initio monuimus, mira prorsus et multiplex ad humanae societatis bonum; neque ea cum aetatibus exarescit, sed eadem semper et vivida, novis item temporibus, modo ne opprimatur, constanter est profutura. — Quod propius attingit populum vestrum, iam ei Nos de religione, per superiores litteras adsimilesque curas, satis consuluisse existimamus, aeque periculis denunciatis ab illa prohibendis, aeque adiumentis propositis quae ad eius libertatem dignitatemque aptius conducerent. Et quoniam a re religiosa res civilis dissociari nequit, huic etiam curationem opemque afferre, quod plane cohaeret cum Apostolico officio, vehementer studuimus. Nam quae Nobis visum est convenienter temporibus vestris identidem suadere et praescribere, ea non exiguam partem, ut probe meministis, publicae quoque saluti ac prosperitati vertebant. Quod si, hoc ipso in genere, coniuncta bonorum studia impensius quotidie consiliis monitisque Nostris sint responsura, quidni eam spem amplectamur quae ex hac saeculari memoria laetior efflorescit et quasi praelucet ad communium voto-

Dolet a multis hominibus contemni religionem catholicam, magno ipsius humanae societatis detrimento.

Memorat antea a se ad Hungaros datas litteras per quas rei religiosae simul et civili consulere studuit.

Eos diligentius quotidie monitis suis obtemperaturos esse confidit, maximo

1. *I Cor.*, XVI, 13. — 2. *Hebr.*, X, 23. — 3. *I Machab.*, IX, 10.

rum exitum maturandum? Nemini sane civi optimo non id in votis fuerit, ut, sublatis dissentiendi caussis, suus Ecclesiae ne abnuatur honos, ex quo pariter civitati luculentius niteat suus, in foedere ductuque avitae religionis. Inde fiet ut auctoritas potestatum, mutua ordinum officia, institutio adolescentiae, talia plura recte se tueantur in veritate, in iustitia, in caritate: his enim maxime fundamentis praesidiisque civitates nituntur ac vigent. — Quae complexio bonorum ut apud vos habeatur qualis clariore patrum memoria fuit, id certe valiturum non minime est, si pietatis affectio erga romanam Ecclesiam, novis veluti auspiciis, ab eorum exemplo incitamenta capiat. Opportune quidem in publicis gaudiis illud etiam indictum novimus, ut honorificentissimum Stephani diadema insuetâ pompa per urbem principem, ad *Sedem Comitiorum* dedicandam, certa die deferatur; nihil quippe cum gloria nationis regumque vestrorum tam est connexum, nihil cum recta civilis rei temperatione tam congruit, quam sacrum illud regiae potestatis insigne. At vero spe libet praesumere duplex praestabile emolumentum ex illa re facile oriturum. Alterum, ut in ordinibus atque in multitudine eo magis sacramentum firmetur obsequii fideique in augustam Domum Habsburgensem, quae idem diadema, ultro sibi a maioribus vestris delatum, ad felicitatem regni perpetuo gessit; alterum, quod est huius propositi, ut copulata recordatio intimae patrum cum Cathedra Petri necessitudinis, quae per ipsum pontificale donarium rata sanctaque extitit, iisdem vinclis stabilitatem addat et robur.

1 MAII 1896.

quidem rei Hungaricae emolumento.

Sperat futuris solemnibus auctum iri inter Hungaros pietatem erga romanam Ecclesiam, necnon obsequium fidemque in Domum Habsburgensem, atque cum Petri cathedra necessitudinem.

Sciat autem gens Hungarorum illustris, omnino se posse ac debere auctoritati et gratiae confidere Sedis Apostolicae: quae nec immemor erit unquam rerum ab ipsa pro catholico nomine praeclare gestarum, et pristinum erga ipsam animum providentiae indulgentiaeque maternae retinet, retinebit. — Quantum est in Nobis, si quidquam adhuc vestrâ caussa curavimus et effecimus, ea Deus perbenigne ad successum foveat. Nobisque consilio et ope sua sic adsit, ut liceat eo vel amplius rationibus vestris gratificari. Per hanc praesertim faustitatem respiciat Ille praesentissimo numine Regem

Benevolentissimum Hungaris animum testatur,

Deum pro ipsis Sanctosque exorans,

vestrum Apostolicum, ordines, clerum, populum universum; faciatque affluentes eorum copiâ bonorum, quae ipse nationibus regnisque promisit custodientibus iustitiam et pacem. Vos aeque respiciat omnes magna Domina vestra MARIA, unâque Stephanus et Adalbertus, iidem regni apostoli et patroni caelestes; quorum salutari tutela, ab avis et maioribus tantopere explorata, cumulatiore in dies fructu laetemini. — Singulare votum summa caritate adiicimus. Fiat nimirum ut cives omnes, quos unus eiusdem patriae commovet amor eademque publicae gratulationis caussa fraterno more coniungit, eos una eademque fides in felici complexu Ecclesiae matris aliquando devinciat.

atque exoptat ut eadem Fide cives omnes jungantur Ecclesiae.

Benedicit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, omni vigilantia diligentiaque pergite, ut facitis, de populo vestro et de civitate mereri optime: auspicemque divinorum munerum et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem habete, quam singulis vobis cunctaeque Hungariae laetanti amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Maii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS DOMUS AD S. LAURENTII BRUNDUSINI DE URBE DECLARATUR GENERALITIA ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPULATORUM.

EX debito pastoralis officii, quod Nobis licet immeritis commisit Altissimus, in religiosas familias, ex quibus uberrimos christiana res fructus percepit, oculos mentis Nostrae pro re ac tempore convertimus, et quae in exploratum cedant ipsarum emolumentum, ut avulsis dissensionum seminibus regularis disciplinae ordo adamussim servetur, ea sedulo studio, interposita Nostra auctoritate Apostolica, decernere ac consulere satagimus. Idcirco dilecti filii hodierni Minister, Procurator, Definitoresque Generales Ordinis Minorum sancti Francisci Capulatorum Nobis exponendum curavere, Urbanum PP. VIII rec. mem. Praedecessorem Nostrum, per Apostolicas litteras die XVI Martii mensis anno MDCXXXI eadem hac forma datas, motu proprio, Conventum Immaculatae Conceptionis de Urbe in foro Barberiniano illo tempore a fundamentis erectum declarasse ac decrevisse, censendum esse *tamquam proprium Conventum Provinciae Romanae, et in usum eiusdem Provinciae et maius commodum totius Ordinis praedicti et praesertim Capitulorum et Congregationum generalium sub regimine et administratione libera dictorum Fratrum Cappuccinorum Provinciae Romanae.* Praefatas Urbani VIII declarationes dictae Romanae Provinciae Fratres minus rite interpretantes, ac sese veluti exclusivos dictae domus de Urbe dominos considerantes, continuo auctoritatem Ministri Generalis ac Procuratoris et Commissarii Generalis parvi facere visi sunt, adeo ut novennio nondum elapso idem Praedecessor Noster per alias Apostolicas litteras die XIII Maii mensis anno MDCXXXIX datas, quarum initium « *Iniuncti Nobis* » haec quae sequuntur constituerit,

5 MAII 1896.

Pontificis est religiosarum familiarum pacem curare.

Urbani VIII declarationes de conventu Imm. Conceptionis Ordinis Minorum Capulatorum

minus rite olim interpretati sunt Minores Capulati provinciae Romanae, parvi facientes Ministri Generalis auctoritatem, quam quidem aliis postea litteris laudatus Pontifex vindicavit.

videlicet : *Ministrum Provincialem Provinciae Romanae, ipsamque Provinciam cum omnibus et singulis ipsius domibus locisque regularibus et conventibus dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus Ministro Generali et Procuratori Generali eiusdem Ordinis, dum hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Commissariusque Generalis appellatur et est, iis legibus eoque modo quo ceterae Provinciae, caeterique Ministri Provinciales Ordinis huiusmodi iuxta eius Constitutiones auctoritate Apostolica confirmatas, subiectae ac subiecti sunt, Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium subiicimus, ac praesentibus Nostris litteris alias a Nobis die* XVI *Martii anno* MDCXXXI *emanatas minime obstare declaramus. Mandantes propterea dilecto Filio moderno ac pro tempore existenti Ministro Provinciali aliisque Officialibus et Fratribus dictae Provinciae Romanae quomodolibet nuncupatis nunc et pro tempore existentibus in virtute sanctae obedientiae ac sub suspensionis... aliisque... poenis, ut Ministrum Generalem ac Procuratorem Generalem, dum vices ipsius Ministri Generalis sustinet estque Commissarius Generalis, praefatos in suos Superiores recipiant et agnoscant.... Non obstantibus quatenus opus sit praedictis Nostris litteris ac quibusvis Constitutionibus....* Verum huiusmodi Apostolicis decretis et posterioribus quamplurimis temperamentis non obstantibus, eae proxime inter Superiores Generales et praefatam Romanam Provinciam difficultates exortae sunt et animadversiones, non sine gravi caritatis fraternae, debitae subordinationis ac pacis interioris detrimento. Quare Pius PP. IX rec. mem. decessor Noster ut eas omnes quaestiones seu difficultates de medio tolleret, per Constitutionem cuius initium « *Cum multae et graves* » die XXX Maii mensis anno MDCCCLXV editam de consilio VV. FF. S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium expediendis praepositorum deque Apostolicae auctoritatis plenitudine « *Conventum Cappuccinorum de Urbe sub titulo Immaculatae Conceptionis Generalitium esse* » statuit et declaravit, « *proindeque Ministro Provinciali Provinciae Romanae minime subiectum, sed tantum Ministro Generali, vel, eo absente, Commissario Generali* », quibus insuper ius adstipulatur

Difficultatibus iterum exortis,

Pius IX conventum Imm. Conceptionis declaravit generalitium esse tantumque Ministro Generali vel, eo absente, Commissario Generali subditum.

religiosos tum e romana tum ex aliis provinciis eligendi, quibus familiam Conventus efforment, salvo privilegio Ministri Provincialis residendi in Conventu, sed absque ulla in Fratres familiae iurisdictione. Quas decisiones quantum ad modum apte temperatas eadem Congregatio Episcoporum et Regularium per rescriptum diei vicesimi insequentis Iulii mensis innovavit. Dispositiones huiusmodi ad annum usque MDCCCLXV non sine luctuosis vicissitudinibus perdurarunt, quo anno Minister Generalis una cum aliis Curiae Generalitiae Sacerdotibus ac Fratribus e praedicto Conventu Immaculatae Conceptionis temporum iniuria exturbati, in hodiernum asylum penes Ecclesiam sancti Nicolai Tolentinatis, titulo locationis, sese precarie receperunt. Nunc autem de mandato totius Capituli Generalis in hac alma Urbe die IX Maii mensis anno MDCCCLXXXIV celebrati, post diutinas durasque exantlatas difficultates, et plurimas ac fervidas ad Deum effusas preces, iidem dilecti filii hodierni Minister, Procurator, Definitoresque Generales secundam nacti occasionem, acquisita, praevia Apostolicae huius Sanctae Sedis licentia, area cum fabricis e dimidio extructis in via vulgo « Boncompagni » ad Hortos Sallustianos, ipsas fabricas ad normam Franciscalis coenobii, quemadmodum legum aedilitiarum exigentiae ferunt, una cum Ecclesia sancto Laurentio Brundusino, olim Ordinis Generali, dicanda, stipem Provinciis quampluribus ac praesertim exteris filiali studio corrogantibus, nuper conficiendas curaverunt. Quae quum ita sint, ad praecavendas difficultates facile exorituras atque ad tute firmiterque constituendum statum canonicum religiosorum virorum ad Curiam Generalitiam pertinentium, simulque ut universi Ordinis disciplinae servandae per Nos quantum in Domino possumus consultum sit, porrectis hac super re precibus a memoratis Ministro, Procuratore ac Definitoribus Generalibus Ordinis sancti Francisci Capulatorum benigne annuendum censuimus, collatisque consiliis, omnibusque adiunctis attente perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Episcoporum et Regularium cognoscendis et dirimendis praepositis, haec quae infra scripta sunt statuimus,

5 MAII 1896.

A quo discedere temporum injuria coacti, se receperunt Superiores Generales ad S. Nicolaum,

jamque ad S. Laurentium Brundisinum sedem suam transferre decreverunt.

Quam domum praesentibus litteris Pontifex constituit generalitiam,

praecipimus, edicimus. Nimirum omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium perpetuumque in modum domum ad sancti Laurentii in via « Boncompagni » sitam almae huius Urbis Nostrae declaramus esse vere et proprie atque exclusive Generalitiam Ordinis Minorum sancti Francisci Assisiensis Capulatorum, ideoque a Ministro Generali cum Curia esse inhabitandam. Constitutionem proinde, quam supra recensuimus, a decessore Nostro Pio PP. IX die XXX Maii anno MDCCCLXV editam auctoritate eadem Nostra praesentium vi revocamus, et Conventum Immaculatae Conceptionis de Urbe in foro Barberinianò tamquam Romanae Provinciae proprium denuo constituimus, firmis ceterum remanentibus tum Urbani PP. VIII Constitutione, quam memoravimus, quae incipit verbis « *Iniuncti Nobis* » tum Regulae et Constitutionum praescriptionibus de omnimoda ac plena Ministri Generalis, eoque absente, Commissarii Generalis sicut et in alias Ordinis Provincias ita et in Romanam Urbisque Conventum auctoritate. Similiter volumus, ut Capitula Generalitia, si et quotiescumque Romae eadem convocari contigerit, in praefata domo ad sancti Laurentii Brundusini iugiter celebrentur in posterum, salvo iure Ministri Generalis Capitulares aliosque Fratres tempore Capitulorum tam in praedicto Conventu Immaculatae Conceptionis, quam in aliis Ordinis in Urbe domibus quibuscumque collocandi. Haec praecipimus ac mandamus, decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces, existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quocumque qua-

revocans supra recensitam Constitutionem Pii IX. Statuit de ratione Conventus Imm. Conceptionis atque romanae provinciae, cum Minorum Capulatorum Ordine ejusque Ministro Generali.

vis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. 5 MAII 1896.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die v Maii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

C. CARD. DE RVGGIERO.

EPISTOLA

Ad Menelik Negus Negesti Aethiopiae imperat.,

DE CAPTIVIS LIBERANDIS.

II MAII 1896.

Imperatorem sibi benevolentissimum rogat Pontifex pro munere suo ut quos detinet captivos,

IL vous a plu jadis de saluer par un acte spontané le commencement de Notre Pontificat, et, dix ans après, à l'occasion de Notre Jubilé sacerdotal, Vous Nous avez offert un nouveau témoignage de votre courtoisie. Ces preuves de bienveillance ont réjoui Notre cœur ; elles honorent le vôtre. Aussi, est-ce à Votre cœur de Monarque et de chrétien que s'adresse aujourd'hui Notre parole pour vous engager à un acte de générosité souveraine. La victoire a laissé en vos mains de nombreux prisonniers. Ce sont des jeunes gens vigoureux et dignes de respect, qui, à la fleur de l'âge et à l'aurore des plus belles espérances, ont été enlevés à leurs familles et à leur patrie.

Leur captivité n'augmente ni la mesure de Votre puissance, ni l'étendue de Votre prestige ; mais, plus elle se prolonge, plus vive est la douleur dans l'âme de milliers de mères et d'épouses innocentes.

libertate donet.

Pour Nous, pénétré de la sainte mission que nous a confiée Notre-Seigneur JÉSUS-CHRIST, et qui s'étend à toutes les nations chrétiennes, Nous les aimons comme des fils. — Agréez donc la demande, que le cœur d'un Père Vous fait, au nom de la Trinité divine, au nom de la Vierge bénie, au nom de tout ce qui vous est plus cher en ce monde : veuillez sans retard leur rendre la liberté.

summam sis laudem ab hominibus

Très Puissant Negus Negesti, ne Vous refusez pas à Vous montrer magnanime aux yeux des nations. Enregistrez cette page glorieuse dans les annales de Votre règne ! Que sont, après tout, les droits impitoyables de la guerre à côté des droits et des devoirs de la fraternité humaine ?

atque praemium a Deo consecuturus.

Dieu Vous en rendra une riche récompense, car il est Père miséricordieux ! Mille voix s'élèveront en chœur pour

Vous bénir, et la Nôtre se fera entendre la première. En attendant Nous implorons du Ciel sur la Famille Royale tous les biens désirables.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 11 Mai de l'année 1896, de Notre Pontificat le dix-neuvième.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE UNITATE ECCLESIAE

29 IUNII 1896.

SATIS cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum partem non exiguam illuc esse conversam, ut ad *ovile* in potestate positum summi pastoris animarum IESU CHRISTI revocare devios conemur. Intento hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbitrati sumus, Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi: in quibus praecipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit. Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse debet: neque abest a veri similitudine, tolli eius contemplatione posse inscientiam; sanari opiniones falsas praeiudicatasque, maxime apud eos qui non sua ipsorum culpa in errore versentur: quin imo excitari etiam in hominibus posse Ecclesiae amorem utique similem caritati, qua IESUS CHRISTUS eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, optavit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (1). Reversuris ad amantissimam parentem, aut non probe cognitam adhuc, aut iniuriâ desertam, si reditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est IESU CHRISTO quaesita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed iussu nutuque divino impositum, ob eamque rem, opitulante gratia caelesti, facile veritatem experiendo intelligent divinae eius sententiae: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve* (2). Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum* descendit (3), ab eo scilicet, *qui incrementum dat* (4) unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

Visum est Pontifici, devios reducendi gratia, unitatem Ecclesiae his tractare litteris.

Ecclesiae contemplari speciem utilissimum.

Ad Ecclesiam redire dissidentes ab ipso Deo jubentur, nec deest ipsis ad implendum praeceptum coelestis gratia.

Vim persuadendi Pontifex Deum rogat.

1. *Ephes.*, V, 25. — 2. *Matth.*, XI, 30. — 3. *Ep., Iac.*, I, 17. — 4. *I. Cor.*, III, 6.

Auctor naturae et gratiae Deus homines assumit sui operis ministros :

Etsi Deus, quaecumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae consilio, maluit : et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quae sensibus percipiantur, posse. Hac de caussa humanam naturam assumpsit Dei Filius, *qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (1) : atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque praecepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

ad quem a Deo definitum rerum ordinem refertur Verbi incarnatio.

Suum Filius Dei munus continuandum mandavit Apostolis.

Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes : cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent : hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita : quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis* : si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa : idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2). Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet : *Corde enim creditur ad iustitiam : ore autem confessio fit ad salu-*

Qua ratione Ecclesia genita est, quae spiritualis *simul est et* externa, *ut patet ex Apostolorum docendi munere,*

ex Fide interna exterius profitenda.

1. *Phil.*, II, 6-7. — 2. *Rom.*, X, 17.

ex gratia coelesti participanda per instrumenta externa,

ex juribus Ecclesiae docentis, officiisque Ecclesiae docendae.

tem (1). Simili modo nihil est homini gratiâ caelesti, quae gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit IESUS CHRISTUS Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne inchoari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de caussis Ecclesiam cum *corpus*, tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi* (2). Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est, actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, IESUS CHRISTUS, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur apparet.

Inde corpus, *et* corpus Christi *vocatur in S. Scriptura Ecclesia, utpote oculis conspicua, at vivens occulta Christi virtute quae manifestatur actibus.*

Errant qui sive formam in Ecclesia externam, sive principium vitae internum negant.

Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse IESU CHRISTI Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus CHRISTI vita supernaturali prae-

Vera hac de re doctrina exponitur, assumpta similitudine ex animae humanae corporisque conjunctione,

1. *Rom.*, 10. — 2. *I Cor.*, XII, 27.

ditum. Sicut CHRISTUS, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt ; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae : sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili ; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum: ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus: « Ab Ecclesia ne absti- « neas : nihil enim fortius Ecclesia. Spes tua Ecclesia, salus « tua Ecclsia refugium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et « terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget. « Quamobrem eius firmitatem stabilitatemque demonstrans, « Scriptura montem illam vocat (1).» Augustinus vero: « Pu- « tant (gentiles) religionem nominis christiani ad certum « tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram. « Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit ; « hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Eccle- « sia Dei, id est CHRISTI corpus in terris (2).» Idemque alibi: « Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum : sed unde « nutabit Christus ?... Non nutante CHRISTO, non inclinabi- « tur in saeculam saeculi. Ubi sunt qui dicunt, periisse de « mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest (3) ? »

His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque CHRISTUS Dominus: propterea natura illius cum quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid CHRISTUS voluerit quidque reapse effecerit.

29 IUNII 1896.

et unione naturae divinae cum humana in Christo.

Qualem Christus Ecclesiam constituit, talis permaneat necesse est :

quod verbis illustratur Chrysostomi

et Augustini.

Verae Ecclesiae a Christo constitutae unitatem

1. *Hom., De capto Eutropio*, n. 6. — 2. *In Psal.* LXXI, n. 8. — 3. *Enarratio in Psal.* CIII, sermo II, n. 5.

Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiae unitas est, de qua visum est, communis utilitatis caussâ, nonnihil his litteris attingere.

testatur Scriptura :

Profecto unam esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in diiudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non solum ortus sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus : quocirca ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

quae quidem unitas qualis sit a voluntate Christi inquirendum est.

Ecclesiam formavit Christus individuam, non vero distinctas complectentem communitates.

Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam IESUS CHRISTUS non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo, *Credo unam... Ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. « In unius naturae sortem « cooptatur Ecclesia quae est una, quam conantur haereses « in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et princi- « pio et excellentia unicam esse dicimus antiquam et catholi- « cam Ecclesiam.... Ceterum Ecclesiae quoque eminentia, « sicut principium constructionis, est ex unitate omnia alia « superans, et nihil habens sibi simile vel aequale (1). » Sane IESUS CHRISTUS de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat *suam : Aedificabo Ecclesiam meam.* Quaecumque, praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per IESUM CHRISTUM condita, Ecclesia CHRISTI vera esse non potest. Quod eminet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit CHRISTUS Dominus ? Hoc scilicet ; munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (2). *Sicut tu me*

Ecclesiae unitatem eximie S. Clemens Alex. profitetur.

Cum Christi verbis,

tum ejus omnes salvandi homines proposito probatur Ecclesiae unitas.

1. Clemens Alexandrinus, *Stromatum*, lib. VII, cap. 17. — 2. *Ioan.*, XX, 21.

misisti in mundum, et ego misi eos in mundum (1). Iamvero CHRISTI muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat*, hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus : venit *Filius hominis... ut salvetur mundus per ipsum* (2). *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (3). Itaque partam per IESUM CHRISTUM salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret. *29 IUNII 1896.*

Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidit ac praesignificavit Isaias, cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus Domini*, videlicet Ecclesiae, expressam gerebat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* (4). Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus : *una* domus Domini, ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluerent : *Et fluent ad eam omnes gentes... et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius* (5). Quem locum cum Optatus Milevitanus attingeret, « Scriptum est, inquit, « in Isaia propheta : Ex Sion prodiet lex, et verbum Do- « mini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias « aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui « per omnem orbem romanum caput tulit sub toto caelo... « Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex « constitutus est CHRISTUS, quae est in toto orbe terrarum, « in quo est una Ecclesia catholica (6). » Augustinus vero : « Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes « ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt.... Ille au-

Hanc praesignificavit Isaias.

cujus verba diserte Optatus Milevitanus

et Augustinus interpretantur.

1. *Ioan.*, XVII, 18. — 2. *Ioan.*, III, 17. — 3. *Act.*, IV, 12. — 4. *Isaias*, II, 2. — 5. *Ib.*, 2-3. — 6. *De Schism. Donatist.*, lib. III, n. 2.

« tem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae: « et de illo dicitur : paratus in cacumine montium (1). » Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit : cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius operâ facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes : *Ipsum* (CHRISTUM) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* (2). Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohaerere. Atqui Paulus, *Omnia autem*, inquit, *membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus* (3). Propterea corpus istud mysticum *compactum* ait esse *et connexum. Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri* (4). Quamobrem dispersa a membris ceteris siqua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt : « Unus Deus est, « et CHRISTUS unus, et una Ecclesia eius et fides una et « plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino « copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum dis« cidio compaginis separari (5). » Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cuius non aliter victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant : seiuncta, necesse est emori : « Non potest (Ecclesia)... divulsis lace« ratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice « discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit (6). » Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis? *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit, et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* (7). Aliud igitur simile

Unicum est Christi corpus mysticum, ut et ejus mortale corpus unicum est.

Nequeunt cum unico capite Christo jungi membra quae fuerint a caeteris membris dispersa,

illaque mori, utpote a capite disjuncta, necesse est.

1. *In Epist. Ioan.* tract. I, n. 13. — 2. *Ephes.*, I, 22-23. — 3. *I Cor.*, XII, 12. 4. *Ephes.*, IV, 15-16. — 5. S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 23. — 6. *Id.*, loc. cit. — 7. *Ephes.*, V, 29-30.

CHRISTO inchoetur caput, alius CHRISTUS, si praeter eam, quae corpus eius est, fingi Ecclesiam alteram libeat. « Videte « quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. « Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod « praecidatur membrum, manus, digitus, pes: numquid « praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset vivebat: « praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catho- « licus est, dum in corpore vivit: praecisus, haereticus factus « est: membrum amputatum non sequitur spiritus (1). » Est igitur Ecclesia CHRISTI unica et perpetua: quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione CHRISTI Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a « promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad CHRISTI « praemia qui reliquit Ecclesiam CHRISTI.... Hanc unita- « tem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris « et Filii fidem, vitam non tenet et salutem (2). »

29 IUNII 1896.

Praecedentium conclusio.

At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam*: videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* (3). Voluntatem hac de re suam IESUS CHRISTUS sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me,... ut et ipsi in nobis unum sint,... ut sint consummati in unum* (4). Imo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (5). Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium: ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo naturâ gignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua iussit esse: quae quidem virtus primum est in vinculis

Qui Ecclesiam unicam condidit, is idem condidit unam, in qua videlicet omnes unum essent: quod ipsum Christus Patrem rogavit;

hujusque concordiae fundamentum posuit Fidei unitatem.

1. S. Augustinus, sermo CCLXVII, n. 4. — 2. S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 6. — 3. *Ephes.*, IV, 4. — 4. *Ioan.*, XVII, 20-21-23. — 5. *Ib.*, 21.

iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (1) : videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus Apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi : ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (2). Quae loca sane non indigent interprete : satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroquin unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in caussa simili, non opinatione aut coniectura est, sed scientia rei gestae iudicandum : quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem IESUS CHRISTUS esse praeceperit.

quae qualis ex Christi praecepto esse debeat, jam indagat Pontifex.

IESU CHRISTI doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes : idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur : hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus : « Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero con- « vertunt (3). » Atque Augustinus : « Neque enim natae « sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaquean- « tia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scrip- « turae bonae intelliguntur non bene (4). » Ad coniugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sen-

Permissa si fuisset ingenio hominum doctrina Christi, Fidei unitas stare non potuisset :

hujus ergo unitatis servandae

1. *Ephes.*, IV, 5. — 2. *I Cor.*, I, 10. — 3. Lib. III, cap. 12, n. 12. — 4. *In Evang. Ioan.* tract. XVIII, cap. 5, n. 1.

29 IUNII 1896.

tentiarum, ut ut extarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia : neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quamdam idoneam providisset : quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

principium aliud constitui divina sapientia debuit, ut ut sacrae extarent litterae, illudque Pontifex inquisiturus, primordia exponit christiani nominis.

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Iesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat : erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis, illinc poenis propositis sempiternis : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* (1). *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* (2). *Si autem facio* (opera), *et si mihi non vultis credere, operibus credite* (3). Quaecumque praecipit, eâdem omnia auctoritate praecipit : in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Iesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset : illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

Christus videlicet audientibus se tradidit singula suae doctrinae capita ex animo amplectenda, nullo quidem excepto.

Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eâdem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (4). Salvos fore, qui Apostolis paruissent, qui non paruissent, interituros : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur* (5). Cumque illud sit providentiae Dei maxime congruens, ut muneri praesertim magno atque excellenti praeficiat neminem, quin pariter

In coelum jam rediturus, Apostolos doctrinam suam disseminare jussit, pollicitus se missurum veritatis Spiritum perpetuo in ipsis mansurum.

1. *Ioan.*, X, 37. — 2. *Ioan.*, XV, 24. — 3. *Ioan.*, X, 38. — 4. *Matth.*, XXVIII, 18-19-20. — 5. *Marc.*, XVI, 16.

suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Iesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum : *Si autem abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (1). *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis...* (2). *Ille testimonium perhibebit de me : et vos testimonium perhibebitis* (3).

Illos ergo perinde ac se ipsum audiri imperat, singulaque doctrinae ipsorum capita teneri.

Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam : *Qui vos audit me audit : qui vos spernit, me spernit* (4). Quamobrem legati Apostoli a Iesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (5) : propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reiecisse quicquam. — Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime insonuit. Quacumque vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Iesu legatos. *Per quem* (Iesum Christum) *accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius* (6) : divinamque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit : *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (7). Quem vero sermonem ? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent : palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant quaeque audierant, non loqui.

Munere suo Apostoli rite perfuncti sunt.

Magisterium vero cum Christus instituerit perpetuum,

Sed, quod alio loco diximus, non erat eiusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Iesus Christus ut praedicarent *evangelium omni creaturae*, et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regi-*

1. *Ioan.*, XVI, 7-13. — 2. *Ioan.*, XIV, 16-17. — 3. *Ioan.*, XV, 26-27. — 4. *Luc.*, X, 16. — 5. *Ioan.*, XX, 21. — 6. *Rom.*, I, 5. — 7. *Marc.*, XVI, 20.

bus, et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae.* Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi.* Quam ad rem Hieronymus : « Qui usque ad consummationem saeculi « cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit « semper esse victuros et se numquam a credentibus recessurum (1) ». Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent ? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a IESU CHRISTO institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere episcopos Apostoli, quique sibi proxime succederent in *ministerio verbi*, singillatim designavere. — Neque hoc tantum : illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri : *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu : et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2). Qua de caussa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab Apostolis sunt : « Apostoli nobis « Evangelii praedicatores facti sunt a Domino IESU CHRISTO, « IESUS CHRISTUS missus est a Deo. Christus igitur a Deo, « et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex « voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui crederent erant... « Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii « viri probati exciperent (3). » Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat : ex altera constans atque immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum

29 IUNII 1896.

Apostoli episcopos consecravere suos in verbi ministerio successores, quos jusserunt et ipsos constituere alios divini verbi ministros,

sicque munus Christi doctrinam docendi integram, et officium

1. *In Matth.* lib. IV, cap. 28, v. 20. — 2. *II Tim.*, II, 1-2. — 3. S. Clemens Rom., *Epist. I ad Corinth.*, capp. 42, 44.

ipsam accipiendi perdurant in Ecclesia.

doctrinam. Quod praeclare Cyprianus iis verbis illustrat : « Neque enim Dominus noster Iesus Christus, cum in « Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum « non essent, aliquam speciem haereseos designavit : sed « omnes omnino qui secum non essent et secum non colli- « gentes, gregem suum spargerent, adversarios esse osten- « dit, dicens : qui non est mecum, adversus me est : et qui « non mecum colligit, spargit (1). »

quae quidem omni aetate e sinu suo eos omnes ejecit qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent.

« His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant : haereticos tamen declaratos, eiectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse? Similique iudicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. « Nihil periculosius his haereticis esse potest, qui « cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si « veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicae « et exinde apostolicae traditionis inficiunt (2). » Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum consentiente iudicio : qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus haereseon sui quisque temporis magnum recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica seiungitur : « Non omnis, qui ista (numeratas videlicet « haereses) non credit, consequenter debet se christianum « catholicum iam putare vel dicere. Possunt enim et haere- « ses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non « sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, « christianus catholicus non erit (3). »

1. *Epist. LXIX*, ad Magnum, n. 1. — 2. Auctor *Tractatus de Fide Orthodoxa contra Arianos*. — 3. *De Haeresibus*, n. 88.

29 IUNII 1896.

Istam tutandae unitati, de qua dicimus, institutam divinitus rationem urget beatus Paulus in epistola ad Ephesios; ubi primum monet, animorum concordiam magno studio conservandam : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (1) : cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem : *Unus Dominus, una fides :* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat : *Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed eiusmodi unitatis ubinam IESUS CHRISTUS posuit principium inchoandae, praesidium custodiendae ? In eo videlicet, quod, *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: « Quoties autem (haere- « tici) canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis chri- « stianus consentit et credit, videntur dicere : Ecce in domi- « bus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debe- « mus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec ali- « ter credere, nisi quemadmodum per successionem Eccle- « siae Dei tradiderunt nobis (2). » Irenaeus : « Agnitio vera « est Apostolorum doctrina... secundum successiones epis- « coporum... quae pervenit usque ad nos custoditione sine « fictione scripturarum tractatio plenissima (3). » Tertullianus vero : « Constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis « Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei con- « spiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod « Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo « accepit... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod « nulli doctrina diversa : hoc est testimonium veritatis (4). » Atque Hilarius : « Significat (Christus e navi docens) eos,

Unitatem Fidei S. Paulus edicit servandam semper eamque ostendit a Christo Apostolorum, pastorum atque doctorum ministerio superstructam.

Quare uno ore doctores Patresque proclamavere eam tenendam esse doctrinam quam ab Apostolis acceptam nobis tradiderunt ipsorum successores.

1. IV, 3 et seqq. — 2. *Vetus Interpretatio Commentariorum in Matth.*, n. 46. — 3. *Contra Haereses*, lib. IV, cap. 33, n. 8. — 4. *De Praescript.*, cap. XXI.

« qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis « capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum « praefert, intra quam verbum vitae positum et praedica- « tum hi qui extra sunt, et arenae modo steriles atque inu- « tiles adiacent, intelligere non possunt (1). » Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod « solis divinae « scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelli- « gentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum « scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex « apostolica successione intelligendi regulam suscepisse « constabat (2). »

Magisterium in Ecclesia a Christo institutum, infallibile est;

Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit IESUS CHRISTUS in Ecclesia, *vivum, authenticum*, idemque *perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit : eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse : si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum : *Domine, si error est, a te decepti sumus* (3). Ita omni amota dubitandi caussâ, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim ? quin, seiunctus ab Ecclesia doctrinam christianam una complexione repudiet universam ? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reiicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse « virtutem supernaturalem, qua, Dei adiuvante et aspirante « gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter « intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine per- « spectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, « qui nec falli nec fallere potest (4). » Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Iacobus Apostolus de delicto iudicat in genere morum, idem de opinionis errore

qui vero ei contradicit in uno, omnem simul repudiat doctrinam christianam, ut ex ipsa patet natura Fidei.

1. *Comment in Matth.* XIII, n. 1. — 2. *Hist. Eccl.*, lib. II, cap. 9. — 3. Richardus de S. Victore, *De Trin.*, lib. I, cap. 2. — 4. Conc. Vat. sess. III, cap. 3.

in genere fidei iudicandum : *Quicumque... offendat... in uno, factus est omnium reus* (1) : imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod maiestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei*, recusat vereri : « In multis mecum, in paucis « non mecum : sed in his paucis, in quibus non mecum, « non eis prosunt multa, in quibus mecum (2). » Ac sane merito : qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide : iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (3), sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo : « Qui in Evangelio quod vultis, creditis ; quod vultis, non « creditis, vobis potius quam Evangelio creditis (4). »

29 IUNII 1896.

Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decrevere : « Fide divina et catholica ea omnia « credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito con- « tinentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordi- « nario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata « proponuntur (5). » Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cuiusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse iusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari : « Cum « igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructum- « que videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere « gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab « Apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra « haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius « iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam mira- « culorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?

Objectum Fidei a Cc. Vaticano definitur.

Magisterium Ecclesiae S. Augustinus vindicat.

1. II, 10. — 2. S. Augustinus, *in Psal.* LIV, n. 19. — 3. *II Cor.*, X, 5. — 4. S. Augustinus, lib. XVII *Contra Faustum Manichaeum*, cap. 3. — 5. Sess. III, cap. 3.

« Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis « est, vel praecipitis arrogantiae... Et si unaquaeque disci- « plina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, docto- « rem aut magistrum requirit ; quid temerariae superbiae « plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab « interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle « damnare (1) ? »

Non sola Fide, sed et Dei cultu, legumque ac disciplinae sanctitate Ecclesia finem suum attingit salutem generis humani.

Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia : imo ne finis quidem, cuius caussâ est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut IESUS CHRISTUS pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest : adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur : religionem, quam in ea velut *incorporari* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat : itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

Soli vero Apostoli eorumque successores constituti sunt a Christo divini cultus ministri, populique christiani rectores.

At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permissa, sed principio a IESU tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio : sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, unâ cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a IESU CHRISTO dicta : *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium,... baptizantes eos.... Hoc facite in meam commemorationem... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique

1. *De Utilitate credendi*, cap. XVII, n. 35.

20 IUNII 1896.

ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent*, hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quae quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1).

Omnes ideo homines Christus in unam advocavit societatem iis instructam principiis per quae Dei filii in Ecclesia perfecti salvique evaderent : hic enim finis Ecclesiae est.

Quapropter mortales IESUS CHRISTUS, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus ; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in iura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima : nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societates, quanto naturâ gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabiliora bona. — Ergo Ecclesia societas est ortu *divina :* fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis :* quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis societatis perfectae nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei*, *Civitas supra montem posita*, quo convenire gentes omnes necesse est : sed etiam *Ovile*, cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves

Ecclesiae suae Christus, utpote societati perfectae,

1. *I Cor.*, IV, 1.

Christi omnes debent : imo *Regnum quod suscitavit Deus*, quodque *stabit in aeternum :* denique *Corpus* Christi *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris ; quae membra non eumdem actum habent : copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur IESUS CHRISTUS magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens ac subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de caussa sicut ad unitatem Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium*, necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur iure divino *unitas regiminis*, quae *unitatem communionis* efficit et complectitur : « Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur : scilicet « in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu « communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum « Ecclesiae ad unum caput (1). » — Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi : « Inter haeresim et schisma hoc esse arbi- « trantur, quod haeresis perversum dogma habeat : schisma « propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separe- « tur (2). » Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eamdem rem sententia concordat : « Dico et protestor, Ecclesiam « scindere non minus esse malum, quam incidere in haere- « sim (3). » Quamobrem si nulla potest esse honesta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri : « Non est quicquam gravius sacrilegio « schismatis,... praecidendae unitatis nulla est iusta neces- « sitas (4). »

praefecisse debet magistratum maximum, cui obediens omnis esset christianorum multitudo, sicque in Ecclesia est ex jure divino unitas regiminis, quae unitatem efficit communionis.

Quae vero et cuiusmodi summa ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certe in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e caelo non visus perseverat : sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui

Illa vero summa potestas in Ecclesia qualis sit, non est aliter nisi cognita Christi voluntate statuendum.

1. S. Thomas, 2a 2ae, q. XXXIX, a. 1. — 2. S. Hieronymus, *Commentar. in Epist. ad Titum*, cap. III, v. 10-11. — 3. Hom. XI, *in Epist. ad Ephes.*, n. 5. — 4. S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani*, lib. II, cap. 11, n. 25.

gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad caelestia rediisset : « Si quis autem dicat quod unum caput et unus « pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, « non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod « ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit : ipse enim « est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est « verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute « corpus eius in altari quotidie consecratur ; et tamen quia « corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter « erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus « dispensaret, ut supra (cap. 74) dictum est. Eadem igitur « ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae sub- « tracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui « universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro « dixit ante ascensionem : Pasce oves meas (1). » IESUS CHRISTUS igitur summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit, idemque sanxit ut eiusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes. Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (2). — « Ad Petrum locutus est Domi- « nus : ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno (3) ». — « Nulla siquidem oratione praemissa,... tam patrem eius, « quam ipsum nomine appellat (beatus es Simon Bar Iona), « et Simonem eum non iam vocari patitur, eum sibi pro « sua potestate iam tum ut suum vindicans, sed congrua « similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super « quem fundaturus erat suam Ecclesiam (4). » Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate iussuque Ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac firmitudinis : quo sublato, omnis aedificatio collabitur. Igitur Petri

29 IUNII 1896.

Constituit vero ipse Ecclesiae suae rectorem in terra

Petrum, in successoribus auctoritate perpetua superstitem,

quem quidem solum elegerat Ecclesiae suae fundamentum,

eaque potestate auxit

1. S. Thomas, *Contra Gentiles*, lib. IV, cap. 76. — 2. *Matth.*, XVI, 18. — 3. S. Pacianus, ad Sempronium, epist. III, n. 11. — 4. S. Cyrillus Alexandrinus, *In Evang. Ioan.*, lib. II, in cap. I, v. 42.

quae jurisdictio *dicitur.*

est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque *iurisdictio* dicitur? Profecto non nisi potestate iurisdictionis stant civitates resque publicae. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant : *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* — « Quam autem eam? an enim petram supra quam « Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclesiam? Ambigua « quippe locutio est : an quasi unam eamdemque rem, « petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo, nec « enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam « aedificat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevale« bunt (1) ». Cuius divinae sententiae ea vis est : quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat : « Ecclesia vero tamquam « Christi aedificium, qui sapienter aedificavit - domum « suam supra petram -, portarum inferi capax non est, « praevalentium quidem adversus quemcumque hominem, « qui extra petram et Ecclesiam fuerit, sed invalidarum « adversus illam (2). » Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita : quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo qui tuetur est necessarium. Illud praeterea IESUS adnexuit : *Et tibi dabo claves regni caelorum.* Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paulo ante nuncuparat *suam*, quamque ipsam velle se in Petro dixit, tamquam in fundamento, statuere. Expressam non modo *aedificii*, sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia : ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni caelorum* cum IESUS dare Petro pollicetur,potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum : « Filius vero et Patris et sui ipsius

Quam jurisdictionis potestatem declarant confirmantque verba Domini asseverantis adversus Petrum, adversus Ecclesiam inferi portas non praevalituras.

atque pollicentis se Petro daturum claves regni coelorum.

1. Origenes, *Comment. in Matth.*, tom. XII, n. 11. — 2. Ib.

« cognitionem per totum orbem illi (Petro) disseminare « commisit, ac mortali homini omnem in caelo potestatem « dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum « orbem terrarum extendit, et caelis firmiorem monstra- « vit (1). » Concinunt cetera : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur.

29 IUNII 1896.

et quodcumque ligandi vel solvendi potestatem.

Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam ceteri, quaesisset, praecipientis in modum ei, *Pasce*, ait, *agnos meos...*, *pasce oves meas* (2). Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit : « Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed « ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis « velut vicarium relinquebat... Et ideo quia solus profitetur « ex omnibus, omnibus antefertur... perfectiores ut perfectior « gubernaret (3). » Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eumdemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi : brevi, regendo gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti IESUS CHRISTUS profuso sanguine prospexerat : « Cur sanguinem effudit ? Ut « has emeret oves, quas Petro et successoribus eius tradidit (4). »

Suum promissum Christus exequens, gregem suum Petro commisit

regendum

sic ipsi potestatem tribuens gubernandi omnes homines.

Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes oportet esse invicem coniunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus impetravit Petro, ut in gerenda potestate numquam fide laberetur : *Ego autem rogavi pro te,*

Nunquam vero Petrus fide lapsurus est utpote per preces Christi fir-

1. S. Ioannes Chrysostomus, Hom. LIV, *in Matth.*, n. 2. — 2. *Ioan.*, XXI, 16-17. — 3. S. Ambrosius, *Exposit. in Evang. secundum Lucam*, lib. X, nn. 175-176. — 4. S. Ioannes Chrysostomus, *De Sacerdotio*, lib. II.

ut non deficiat fides tua (1). Eidem praeterea mandavit ut, quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis lumen animi et robur : *Confirma fratres tuos* (2). Quem igitur fundamentum Ecclesiae designarat, eumdem esse vult columen fidei : « Cui propria auctoritate regnum dabat, huius « fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firma- « mentum Ecclesiae indicavit (3) ? » Hinc ipse IESUS certa quaedam nomina, magnarum indicia rerum, quae « sibi « potestate sunt propria, voluit esse Petro secum participa- « tione communia (4), » nimirum ut ex communione titulorum appareret communio potestatis. Ita ipse, qui *lapis est angularis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* (5), Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet. « Cum audisset (petra es) praeconio nobilitatus est. « Quamquam autem petra est, non « ut Christus petra, sed ut Petrus petra. Christus enim essen- « tialiter petra inconcussa ; Petrus vero per petram. Nam « IESUS dignitates suas largitur, nec exhauritur.... Sacerdos « est, facit sacerdotes..., petra est, petram facit (6). » Rex idem Ecclesiae, *qui habet clavem David : qui aperit et nemo claudit : claudit et nemo aperit* (7), traditis Petro *clavibus*, principem christianae reipublicae declaravit. Pariter pastor maximus, qui se ipse *pastorem bonum* nuncupat (8), *agnis atque ovibus suis* pastorem Petrum praeposuit : *Pasce agnos, pasce oves.* Quare Chrysostomus : « Eximius erat inter Apo- « stolos, et os discipulorum et coetus illius caput.... Simul « ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita nega- « tione, fratrum ei praefecturam committit.... Dicit autem : « Si amas me, fratribus praeesto (9). » Demum qui confirmat *in omni opere et sermone bono* (10), mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Iure igitur Leo magnus : « De toto mundo « unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi « et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus prae- « ponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint « multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus,

1. Luc., XXII, 32. — 2. *Ib.* — 3. S. Ambrosius, *De Fide*, lib. IV, n. 56. — 4. S. Leo M., sermo IV, cap. 2. — 5. *Ephes.*, II, 21. — 6. Hom. *de Poenitentia*, n. 4, in Appendice oper. S. Basilii. — 7. *Apoc.*, III, 7. — 8. *Ioan.*, X, 11. — 9. Hom. LXXXVII, in Matth., n. 1. — 10. *II Thessalon.*, II, 16.

« quos principaliter regit et Christus (1). » Itemque Gregorius magnus ad Imperatorem Mauritium Augustum : « Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi apostolo totius Ecclesiae cura commissa est.... Ecce claves regni caelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, et cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur (2). »

29 IUNII 1896.

et Gregorii magni verbis exponuntur.

Eiusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiae, velut pars praecipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum beato Petro interire, sed recidere in eius successores ex alio in alium oportuit : « Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta « fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (3). » Quare pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam Ecclesiae potestatem obtinent iure divino. « Definimus, sanctam Apostolicam « Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem « tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum « Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium « christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in « beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem « Ecclesiam a Domino nostro IESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in gestis « oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus contenetur (4). » Similiter Concilium Lateranense IV : « Romana Ecclesia... disponente Domino, super omnes alias « ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater « universorum Christifidelium et magistra. » Antecesserat consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem vero lateat quot in eamdem rem extent et quam luculenta sanctorum patrum testimonia? Illud valde praeclarum Irenaei, qui cum de Ecclesia romana dissereret, « ad hanc enim, inquit, Ecclesiam propter potio-

Suprema potestas data Petro, perpetua est,

in ejusque recidens successores, Pontifices videlicet romanos ; illudque catholicae doctrinae caput illustratur verbis Cc. Florentini,

et Lateranensis IV,

ac sanctorum Patrum testimoniis,

1. *Sermo* IV, cap. 2. — 2. *Epistolarum*, lib. V, epist. XX. — 3. *S. Leo M.*, sermo III, cap. 3. — 4. *Concilium Florentinum.*

« rem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam (1). » Ac Cyprianus itidem de Ecclesia romana affirmat,eam esse « Ecclesiae catholicae radicem et matricem (2) : « Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est (3). » *Cathedram* Petri appellat quippe quam insidet Petri successor : *Ecclesia principalem* ob principatum Petro ipsi et legitimis successoribus collatum : *unde unitas exorta*, quia in christiana republica caussa efficiens unitatis est Ecclesia romana. Quare Hieronymus iis verbis Damasum affatur : « Cum successore piscatoris et « discipulo crucis loquor.... Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram « aedificatam Ecclesiam scio (4). » Sollemne illi est, catholicum hominem ex coniunctione cum romana Petri sede internoscere : « Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus « est (5). » Neque absimili ratione Augustinus, palam testatus, « in romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguisse principatum (6) », negat esse catholicum, quicumque a fide romana dissentiat : « Non crederis veram fidem « tenere catholicam, qui fidem non doces esse servandam « romanam (7). » Item Cyprianus : Communicare cum Cornelio, « hoc est cum catholica Ecclesia communicare (8). » Similiter Maximus Abbas hanc verae fidei veraeque communionis notam esse docet,subesse Pontifici romano : « Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut « illi satisfaciat.... Festinet pro omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes « pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra « solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et « non satisfacit et implorat sanctissimae romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem. » Cuius rei caussam rationemque in eo affirmat residere,quod « ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis sy- « nodis, secundum sacros canones et terminos, universarum « quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesia-

Nemo inde, nisi fidem romanam teneat, catholicus audit apud Hieronymum, Augustinum,

Cyprianum,

Maximum Abbatem,

quum ab ipso Christo acceptam teneat sedes Apostolica in omnibus

1. *Contra Haereses*, lib. III, cap. 3, n. 2. — 2. *Epist.*, XLVIII, ad Cornelium, n. 3. — 3. *Epist.*, LIX, ad eumd., n. 14. — 4. *Epist.*, XV, ad Damasum, n. 2. — 5. *Epist.*, XVI, ad eumd., n. 2. — 6. *Epist.*, XLIII, n. 7. — 7. *Sermo*, CXX, n. 13. — 8. *Epist.*, LV, n. 1.

« rum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, « auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc « enim ligat et solvit, etiam in caelo Verbum, quod caelesti- « bus virtutibus principatur (1). » Quod igitur erat in fide christiana, quod non una gens, aut una aetas, sed aetates omnes, et Oriens pariter atque Occidens agnoscere atque observare consueverat, id meminit, nullo contradicente, ad Ephesinam Synodum Philippus presbyter, a Pontifice legatus : « Nulli dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod « sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et « caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamen- « tum, a Domino nostro IESU CHRISTO, salvatore humani « generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique « ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque « tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium « exercet (2). » Eademque de re in omnium cognitione versatur Concilii Chalcedonensis sententia : « Petrus per Leo- « nem... loquutus est (3) » : cui vox Concilii Constantinopolitani III resonat, tamquam imago : « Summus nobiscum « concertabat Apostolorum princeps : illius enim imitato- « rem et Sedis successorem habuimus fautorem..., charta et « atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loque- « batur (4). » In formula catholicae professionis ab Hormisda conceptis verbis, ineunte saeculo sexto, proposita, cui tum Iustinianus Imperator, tum Epiphanius, Ioannes, et Menna Patriarchae subscripserunt, illud est magna vi sententiarum declaratum : « Quia non potest Domini nostri IESU CHRISTI « praetermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super « hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...*, haec, quae dicta « sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica « citra maculam semper est catholica servata religio (5). » Nolumus quidem persequi singula : libet tamen formulam fidei meminisse, quam Michael Palaeologus in Concilio Lugdunensi II professus est : « Ipsa quoque sancta romana « Ecclesia summum et plenum primatum et principatum « super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se

29 IUNII 1896.

et per omnia potestatem.

Catholicam doctrinam de summo Petri romanaeque Ecclesiae principatu asserunt acta Concilii Ephesini,

Chalcedonensis,

Constantinopolitani III,

formula catholicae professionis proposita ab Hormisda,

et illa quam Michael Palaeologus in Cc : Lugd. II professus est.

1. *Defloratio ex Epistola ad Petrum illustrem.* — 2. *Actio* III. — 3. *Actio* II. — 4. *Actio* XVIII. — 5. *Post Epistolam*, XXVI, ad omnes Episc. Hispan., n. 4. —

« ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe « sive vertice, cuius romanus Pontifex est successor, cum « potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter « recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem « defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestio- « nes, suo debent iudicio definiri (1). »

Ut in romano Pontifice principatus Petri, ita in Episcopis potestas apostolorum permanet.

Si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem *elegit duodecim... quos et apostolos nominavit* (2). Quo modo Petri auctoritatem in romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

Exponit Pontifex episcoporum cum romano Pontifice necessitudines.

Illorum nempe cum Petri successore conjunctio, quae Ecclesiae parit unitatem, sancita a Christo est qui nihil Apostolis seorsum a Petro, plura vero Petro contulit seorsum ab Apostolis,

Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quae sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem coniunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit, non obscura est neque dubia necessitas: hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit multitudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem: « Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate « pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens « detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot « sacerdotes (3). » Idcirco ad id praestat advertere animum: nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum; plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Ioannes Chrysostomus in Christi edisserenda sententia (Ioan., XXI, 15) cum percontatus esset, « Cur, aliis praetermissis, de his « Christus Petrum alloquitur »? omnino respondet: « Exi- « mius erat inter Apostolos, et os discipulorum, et coetus

1. *Actio* IV. — 2. *Luc.*, VI, 13. — 3. S. Hieronymus, Dialog. *Contra Luciferianos*, n. 9.

29 IUNII 1896.

« illius caput (1). » Hic enim unus designatus a Christo est fundamentum Ecclesiae : ipsi *ligandi* copia *solvendique* permissa, eidemque *pascendi* data potestas uni. Contra quidquid auctoritatis ac muneris accepere Apostoli, coniuncte cum Petro accepere : « Divina dignatio si quid cum eo commune « ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum « dedit, quidquid aliis non negavit (2). » « Ut cum multa « solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit (3). » Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur ; itaque exclusi *aedificio* ipso sunt : ob eamdemque caussam ab *ovili* seiuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves.

ita ut Episcopi excidant potestate regendi, si a romani Pontificis secesserint communione quae fundamentum potestatis ipsorum est.

Quibus rebus rursus noscimus in constituenda christiana republica caelestem descriptionem mentemque divinam. Videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Quare Cyprianus : « Probatio est ad fidem facilis « compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego « tibi dico*, inquit, *Quia tu es Petrus*... Super unum aedificat « Ecclesiam. Et quamvis Apostolis omnibus post resurre- « ctionem suam parem potestatem tribuat, et dicat : sicut « misit me Pater..., tamen ut unitatem manifestaret, uni- « tatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctori- « tate disposuit (4). » Atque Optatus Milevitanus : « Negare « non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram « episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apo- « stolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est : in « qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur : ne ceteri « Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schis- « maticus et peccator esset, qui contra singularem Cathe- « dram alteram collocaret (5). » Unde est illa ipsius Cypriani sententia, cum haeresim tum schisma ex eo ortum habere

Christus ergo Ecclesiam suam constituit unam fide, regimine, communione sub Petri summa cathedra.

Hanc esse unitatis centrum exponunt Cyprianus

atque Optatus Milevitanus,

schismaticum et haereticum habentes eum qui defecerit a

1. Hom. LXXXVIII *in Ioan.*, n. 1. — 2. S. Leo M., sermo IV, cap. 2. — 3. Ib. 4. *De Unit. Eccl.*, n. 4. — 5. *De Schism. Donat.*, lib. II.

Sede Apostolica :

gignique, quod debita supremae potestati obedientia abiicitur : « Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut « nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non « obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos « et ad tempus iudex vice Christi cogitatur (1). » Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse. Quare Optatus Milevitanus reprehendebat hoc nomine Donatistas : « Contra quas portas « (inferi) claves salutares accepisse legimus Petrum, prin« cipem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est : Tibi « dabo claves regni caelorum, et portae inferi non vincent « eas. Unde est ergo, quod claves regni caelorum vobis « usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri... mili« tatis (2) ? »

talem quidem, quum sit extra Ecclesiam, nullam jam posse auctoritatem participare patet. Hoc eximie Optatus Donatistas monuit.

Voluit Christus Episcopos ita cum Petro conjunctos ut ipsi subsint pareantque ; nec satis est inter eos Petrum priores gerere partes, quum clavium *nomine summa designetur potestas. Ut enim Episcopi* agnos, *ita summus Pontifex regendos accepit a Deo et* agnos *et* oves.

Sed Episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat : secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandae, non gerere honoris caussâ priores partes, non curam agere satis est ; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum *uni* pollicitus est Petro ? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, usus biblicus et Patrum consentientes sententiae dubitari non sinunt. Neque secus interpretari fas est, quae vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis coniunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus : « Non solum « pastorem (Petrum), sed pastorum pastorem (Christus) « constituit : pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit « filios, pascit et matres : regit subditos, regit et praelatos « quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est (3). » Hinc

Hinc illae

1. Epist. XII, ad Cornelium, n. 5. — 2. Lib. II, n. 4, 5. — 3. S. Brunonis Episcopi Signiensis *Comment. in Ioan.*, part. III, cap. 21, n. 55.

29 IUNII 1896.

illae de beato Petro singulares veterum locutiones, quae in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculente praedicant. Appellant passim - principem coetus discipulorum - sanctorum Apostolorum principem - chori illius coryphaeum - os Apostolorum omnium - caput illius familiae - orbis totius praepositum - inter Apostolos primum - Ecclesiae columen. Quae omnia concludere Bernardus iis verbis videtur ad Eugenium Papam : « Quis es? Sacerdos magnus, « summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres « Apostolorum... Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae « sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pasto- « res; sed tu tanto gloriosius,quanto et differentius utrumque « prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos « greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec « modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. « Unde id probem quaeris. Ex verbo Domini. Cui enim,non « dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute « et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, « Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos « civitatis aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. « Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse « omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil (1). »

de B. Petro singulares veterum locutiones, quae ejus praedicant summam potestatem. Hanc celebrat S. Bernardus, ad Eugenium Papam scribens.

Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos*, ius esse ; *universos*, ius non esse. Haec enim omnis est caussa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque toti potius aedificio, quam *partibus* eius *singulis* tueatur. Quod est in caussa, de qua loquimur,multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis eius partibus, quippe quae utique vinci inferorum impetu possunt, nonnullisque earum, ut vincerentur, singillatim evenit. Rursus, qui gregi praepositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque

Non tantum Episcopos singulos, *sed et* universos *subesse romanorum Pontificum jurisdictioni ex eo patet quod hi sunt a Christo fundamentum Ecclesiae universae constituti, et praepositi universo gregi ;*

1. *De Consideratione*, lib. II, cap. 8.

pastorem suum universitas ovium ? Num successores Apostolorum, simul coniuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti caussâ, innitatur? Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul : et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam unâ collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae. Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo praestitisse auctoritate dicatur?

tenentque ab eo acceptas claves regni coelorum.

Ut nempe Episcopi universo gregi suo, ita et romani Pontifices toti praesunt reipublicae christianae, ipsius Christi potestatem gerentes.

Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacrae litterae tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata Conciliorum : « Romanum pontifícem de omnium Ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus : de eo vero quemquam iudicasse, non legimus » (1). Cujus rei ea ratio redditur, quod « auctoritate Sedis Apostolicae maior non est (2). » Quare de Conciliorum decretis Gelasius : « Sicut id quod prima Sedes non probaverat, « constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, « Ecclesia tota suscepit (3). » Sane Conciliorum consulta et decreta, rata habere vel infirmare semper romanorum Pontificum fuit. Conciliabuli Ephesini acta rescidit Leo magnus : Ariminensis, reiecit Damasus : Constantinopolitani, Hadrianus II ; canonem vero XXVIII Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicae, velut incassum quiddam constat iacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V Leo X statuit : « Solum

Hanc romanorum Pontificum in episcoporum collegium potestatem testata est Ecclesia omni tempore, ut ex historia patet Conciliorum ;

1. Hadrianus II, *in Allocutione* III ad Synodum Romanam an. 869. Cf. Actionem VII Concilii Constantinopolitani IV. — 2. Nicolaus, *in epist.* LXXXVI, ad Michael. Imperat. — Patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. — 3. *Epist.*, XXVI, ad Episcopos Dardaniae, n. 5.

« romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam « auctoritatem super omnia concilia habentem, tam Conci- « liorum indicendorum,transferendorum,ac dissolvendorum « plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae « Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum roma- « norum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed « propria etiam eorumdem Conciliorum confessione mani- « feste constat ». Sane claves regni caelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur : at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a IESU CHRISTO nullo pacto accepere. — Quibus de caussis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium saeculorum asserta fides (1).

29 IUNII 1896.

nec usquam legitur in S. Litteris summam potestatem sine Petro *et* contra Petrum *traditam fuisse Apostolis.*

Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed romani pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris; episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris : « Inconveniens « est, quod duo aequaliter super eumdem gregem consti- « tuantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, « super eamdem plebem constituantur, non est inconve- « niens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate « sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa (2). » Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum : propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiâque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Imo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant.

Nulla vero oritur administrationi confusio ex eo quod iidem simul subsunt potestati Episcopi et Pontificis romani, quum sit hujus potestas principalior.

Episcoporum potestati fautores se semper praestiterunt Pontifices romani.

1. *Sess.* IV, cap. 3.— 2. S. Thomas, *in IV. Sent.*, dist. XVII, a. 4, ad q. 4, ad 3.

« Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor « est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere hono- « ratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non « negatur (1). »

Per has litteras

His quae dicta sunt, Ecclesiae quidem imaginem atque formam ex divina constitutione fideliter expressimus. Plura persecuti de unitate sumus; cuiusmodi hanc esse, et quo conservandam principio divinus auctor voluerit, satis explicavimus. Quotquot divino munere beneficioque contigit, ut in sinu Ecclesiae catholicae tamquam ex ea nati vivant, eos vocem Nostram apostolicam audituros, non est cur dubitemus : *Oves meae vocem meam audiunt* (2). Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore cum pastoribus quisque suis et per eos cum pastore summo cohaereant, ut tutius queant intra ovile unicum permanere, fructuumque ex eo salutarium maiorem ubertatem capere. Verum aspicientibus Nobis *in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (3), cuius vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate eius inflammatur animus; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpamus : *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient* (4). Nos igitur audire et caritati Nostrae paternae obsequi ne recusent, quotquot sunt, qui impietatem tam late fusam oderunt, et IESUM CHRISTUM Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab eius Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est: « Totus « Christus caput et corpus est : caput unigenitus Filius Dei, « corpus eius Ecclesia : sponsus et sponsa, duo in carne una. « Quicumque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, « etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia « designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque « de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati « Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia (5). »

catholicos arctius cum suis pastoribus ac summo pastore devinctum iri confidit Pontifex.

Dissidentes vero ut ad Ecclesiae redeant unitatem compellat,

monitum eis proponens S. Augustini de toto Christo sumendo.

1. S. Gregorius M., *Epistolarum* lib. VIII, epist. XXX, ad Eulogium. — 2. *Ioann.*, X, 27. — 3. *Hebr.*, XII, 2. — 4. *Ioann.*, X, 16. — 5. S. Augustinus, *Contra Donatistas Epistola, sive De Unit. Eccl.*, cap. IV, n. 7.

29 IUNII 1896.

Ac pari studio ad eos provolat animus Noster, quos impietatis non funditus corrupit pestilens afflatus, quique hoc saltem expetunt, sibi patris esse loco Deum verum, terrae caelique opificem. Hi quidem apud se reputent ac plane intelligant, numerari se in filiis Dei nequaquam posse, nisi fratrem sibi IESUM CHRISTUM simulque Ecclesiam matrem adsciverint. Omnes igitur peramanter, sumpta ex Augustino ipso sententia, compellamus: « Amemus Dominum « Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius: illum sicut « patrem, istam sicut matrem. Nemo dicat: ad idola qui- « dem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen « Dei Ecclesiam non relinquo: catholicus sum. Tenens « matrem, offendisti patrem. Alius item dicit: absit a me, « non consulo sortilegum, non quaero arreptitium, non « quaero divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda dae- « monia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati « sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam « vindicat matrem? Quid prodest si Dominum confiteris, « Deum honoras, ipsum praedicas, Filium eius agnoscis, « sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas « Ecclesiam eius?... Si haberes aliquem patronum, cui quo- « tidie obsequereris; si unum crimen de eius coniuge dice- « res, num quid domum eius intrares? Tenete ergo, caris- « simi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem « Ecclesiam (1). »

Illos vero omnes qui Deum patrem sibi esse cupiunt docet ejusdem Augustini verbis Deum se praebere patrem iis tantum qui fratrem sibi Jesum-Christum simulque Ecclesiam matrem adsciverint.

Plurimum misericordi Deo confisi, qui maxime potest animos hominum permovere, et unde vult, et quo vult, impellere, benignitati eius universos, quos in oratione spectavimus, vehementer commendamus. Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Dei benignitati omnes commendat quos in oratione spectavit, et benedicit.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

1. *Enarratio in Psal.* LXXXVIII, sermo II, n. 14.

EPISTOLA

Ad Card. Svampa, Archiep. Bononiensem,

DE CELEBRANDO SCLI XIX TERMINO.

18 IULII 1896.

TEMPESTATE infensissima ad Petri Cathedram, nutu Dei providentis, evecti, nihil antiquius habuimus quam ut humano generi, diuturnis nimium discordiis vexato, pacem, utilitatis omnis altricem, omni qua possemus industria conciliaremus. Huc sane studia Nostra continenter spectarunt; eaque propter, communibus saepe datis litteris, sive de ordinanda civitate, sive de libertate rite recteque aestimanda, sive de opificum conditione et sanctitate coniugii eloquuti sumus, sive demum de insidiis, quae ex socialismi commentis et occultarum consociationum machinationibus societati parantur. Nuper autem, quum, ingravescente aetate, urgeri Nos ad humanum exitum pervideremus, placuit ad ineundam tuendamque pacem principes populosque iterum hortari universos et Christi Ecclesiam uti certum unitatis vinculum gentibus omnibus perhibere; eam in Domino praecipientes spem, proxime exordientis saeculi initia optatae concordiae auspiciis esse dedicanda. His votis Nostris, paterni animi caritate conceptis, nonnulli obsecundantes electi viri in eam devenere sententiam, ut labentis aetatis terminum solemni quodam communique religionis testimonio consecrarent. Id Nos probamus libentes. Quamvis autem ob maxima, quibus Deus nos cumulat, beneficia, eo debeat fidelium spectare pietas ut debitas providenti Numini persolvant gratias; at multo maxime eo necesse est converti animos, ut, supplici instantique prece, turbatis mortalibus miserentis Dei voluntas concilietur. Audiat utinam clementiae Pater precantium gemitus, et Christi servatoris sanguine placatus, *exurgens misereatur Sion!* Optimo interim fidelium desiderio faveat caelestis gratiae subsidium, Cuius auspicem et benevolentiae Nostrae testem,

Exponit Pontifex plura se Pontificatus sui spatio documenta tradidisse per quae pacem curaret instaurandam in mundo.

Gaudet concordiae spem conceptam

augeri ex eo quod nonnulli terminum labentis saeculi decrevere solemni religionis testimonio celebrandum. Agant illis solemnibus catholici gratias ob collata Pontifici beneficia; maxime vero Deum exorent ut humano generi misereatur.

tibi, dilecte fili Noster, virorumque coetui exeuntis saeculi finem religiose celebrando, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Iulii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS UNIVERSITATI GREGORIANAE FIT FACULTAS JURIS CANONICI CATHEDRAS INSTITUENDI ET ACADEMICOS CONFERENDI GRADUS.

29 IULII 1896.

Romanorum Pontificum curam de scientiis humanis divinisque promovendis testatus,

ROMANI Pontifices decessores Nostri vehementer solliciti de catholica fide longe lateque in terrarum orbem propaganda, nullam praetermiserunt occasionem quin scientias sive humanas sive praesertim divinas adeo proveherent, ut ephebi in spem Ecclesiae adolescentes non minus integra vita quam eximia doctrina ubique gentium eniterent. Hac igitur mente omnes curas cogitationesque suas in huius almae Urbis studia contulerunt, quae quum Altissimi consilio Apostolica Sede decorata sit, innumeros iuvenes sacerdotio assidue initiat, eosque in omnem locum mittit, populum ad pietatem simul et ad sapientiam erudituros. Inter praestantiora studiorum domicilia, quae Romae floruerunt ac florent, iure optimo recensendum est Collegium Romanum seu Pontificia Universitas Gregoriana, quae a fel. rec. Gregorio XIII decessore Nostro munifice aucta, a Clericis Regularibus Societatis IESU, omni eruditionis genere apprime excultis, summopere nobilitata fuit. In quo praeclaro Athenaeo, quum perfectus ibi Iuris Canonici cursus nonnullis abhinc annis deesset, rec. me. Pius Papa IX decessor Noster per Rescriptum sacrae Studiorum Congregationis benigne concessit, ut cathedrae praedictae disciplinae erigi et academici gradus conferri licite possent. Nunc vero, quum dilectus filius Michael de Maria, studiorum eiusdem Universitatis Moderator, Nos enixe rogaverit, ut ea, quae supra memoravimus privilegia rata habere vellemus atque Apostolicis litteris confirmare; Nos, quibus sane cognitum est quantam sibi laudem inclita haec Societas quum in profanis tum praecipue in sacris disciplinis tradendis comparaverit, porrectis huiusmodi

laudat Pontifex Universitatem Gregorianam a Clericis Regularibus S. J. nobilitatam.

Concessum ipsi a Pio IX privilegium juris canonici cathedras erigendi, conferendique gradus academicos, Pontifex hisce litteris confirmat,

precibus libenti quidem animo censuimus obsecundandum. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, praesentium tenore, necessarias et opportunas facultates Rectori praefati Collegii Romani pro tempore existenti perpetuum in modum auctoritate Nostra concedimus ac largimur, quarum vi in amplissima Gregoriana Universitate Societatis IESU, ubi laudabiliter optimis disciplinis omnium nationum erudiuntur alumni, non modo Facultas Iuris Canonici institui licite queat, verum etiam auditores, qui eumdem cursum celebraverint, et rite diligenterque perfecerint, si digni post factum scientiae periculum iudicati fuerint, baccalaureatus, licentiae et doctoralis laureae insignibus decorari libere liciteque etiam possint ac valeant. Praecipimus autem, ut in his gradibus conferendis ea omnino serventur, quae sive ex lege sive ex consuetudine in collatione similium graduum tum philosophiae tum theologiae in eodem Collegio rite observari solent, utque sarta tectaque semper sint statuta vel peculiares leges ceteras scholas pontificias et collegia huius almae Urbis Nostrae moderantes, quibus hac presenti concessione nihil volumus derogatum. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

legesque definit in conferendis gradibus observandas.

Praesentium litterarum auctoritatem vindicat.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIX Iulii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

C. CARD. DE RVGGIERO

EPISTOLA

Ad Card. Vaughan, Arch. Westmonasteriensem

DE SUBLEVANDIS CLERICIS ANGLICANIS

AD FIDEM CONVERSIS.

23 AUG. 1896.

Testatus Pontifex suam de salute Angliae sollicitudinem,

IL n'est pas nécessaire de vous rappeler Notre affection spéciale pour l'Angleterre et l'ardent désir que Nous avons de pourvoir par tous les moyens aux intérêts spirituels de ses fils. Vous en connaissez déjà les nombreux témoignages. Un point, dont la haute importance n'échappera pas à votre attention ni à celle de vos frères dans l'épiscopat, Nous préoccupe beaucoup en ce moment et Nous a fait concevoir un projet que Nous nous hâtons de recommander à votre zèle, et, par votre entremise, à la charité généreuse des catholiques anglais.

dolet tristi rei familiaris conditione eos nonnunquam premi qui ad matrem Ecclesiam ex clero anglicano redeunt.

Nous ne pouvons contempler sans une émotion profonde la situation si pénible, parfois même désespérée, des ministres anglicans convertis, qui, suivant promptement l'appel de la grâce, se sont décidés à entrer dans le sein de l'Église catholique. Arrachés trop souvent à une position aisée ou du moins convenable, ils se trouvent, au lendemain de leur conversion, dans une situation des plus critiques, quelquefois même dans le dénûment absolu, sans les moyens de se maintenir ni de pourvoir aux pressants besoins de leurs familles.

Varia quae illis occurrunt mala perpetienda,

Leur naissance, leur éducation, leurs habitudes ne les ont nullement préparés pour des sacrifices aussi énormes ; et quand ces privations viennent s'ajouter aux cruelles angoisses des amitiés brisées et de l'isolement social, il n'y a guère de s'étonner que plusieurs sentent leurs forces défaillir.

licet a pluribus fuerint superata,

Beaucoup, Nous le savons bien, ont accepté tous les sacrifices pour suivre sans retard la voix de leur conscience et embrasser la vérité. Vous connaissez, Notre cher fils, ces exemples insignes et Nous ne pouvons assez les louer.

Ils ont eu raison de se rappeler que, quand les intérêts de l'âme sont en jeu, on ne peut s'arrêter à aucune considération d'ordre temporel, quelque pénible qu'elle soit. Dieu les récompensera un jour au centuple comme Lui seul sait le faire. Mais cela n'empêche qu'il s'agit ici d'un acte presqu'héroïque, dont la pensée peut faire hésiter une vertu plus faible et remettre à trop tard le pas décisif.

valent tamen nonnullos in errore diutius detinere.

Nous voudrions donc venir en aide à ceux qui ont déjà fait ce pas et à ceux qui sont prêts à le faire. Pour atteindre ce but Notre pensée, qui est la Nôtre personnelle, et que Nous vous proposons maintenant, serait de voir établi en Angleterre un fonds assez considérable pour secourir les pauvres ministres anglicans convertis. Notre intention n'est certainement pas et ne pourrait pas être de leur procurer une position supérieure ou même égale à celle qu'ils ont si noblement quittée : leur vertu devra encore affronter des sacrifices : mais Nous voudrions du moins leur assurer les moyens de suffire aux besoins les plus pressants pendant les premières années de leur conversion et jusqu'au jour où ils aient pu trouver par eux-mêmes les ressources nécessaires pour vivre convenablement.

Exoptat ergo Pontifex ut illorum necessitatibus provideatur,

Nous connaissons trop votre zèle et celui de l'Épiscopat et du clergé anglais, comme aussi la générosité de nos enfants catholiques en Angleterre pour douter un instant de l'accueil qu'ils feront à cette proposition, que Notre cœur Nous a dictée.

conspirantibus in id Episcopis, clero, ac Fidelibus.

Recevez, Notre cher fils, comme source d'encouragement et comme gage de Notre affection, la bénédiction Apostolique.

Du Vatican, le 23 août 1896.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Gulielmum Alliata,

Praesidem consociationis antimassonicae,

DE PRIMO ANTIMASSONICO CONVENTU.

2 SEPT. 1896.

CATHOLICOS homines in coetus cogi ut, Episcopis auspicibus, religionis commoda tueantur ac provehant, pergratum Nobis accidit semper. Nostris autem optatis obsecundante perbenigne Deo, sic eiusmodi coetus in vario rerum genere quotidie sunt aucti, ut nihil admodum de iis relictum sit quae maxime ad Ecclesiae utilitatem conducunt, quod, in catholicis conventibus agitatum, proventus non inde aliquid ceperit. — Nunc vero, dilecte fili, nuntiasti Nobis eo iam consilia Consociationis vestrae converti, ut delecti etiam ex universis nationibus viri Tridentum conveniant, quo scilicet adversus Massonum sectam, insolentius se in dies efferentem, communibus studiis deliberent, animosque et sumant ipsi et inspirent aliis ad obsistendum ad decertandum acriores. Cetera ut praetereamus, unum est cur id consilii vehementer probetur. Inde etenim patet, latius populos intimam induere persuasionem, maxime a clandestinis societatibus publicae sacraeque rei parari damna. Haec, Nos, partim allata partim extimescenda, opportunam omnem nacti occasionem, saepius persecuti sumus, dedita autem opera per Litteras Encyclicas *Humanum genus* aliasque, quas nominatim ad Italos, anno MDCCCXC, iterumque MDCCCXCII dedimus. Enimvero curarum Nostrarum instantiam haud exitus fefellit : et fructus inter consecutos propositum etiam istius aggrediendi coetus libentes censemus. Quem quidem coëuntium numero et praestantia, talem futurum confidimus, qualem et tractandarum rerum gravitas et sperandae utilitates postulant. — Eventus tamen ut optatis cumulate respondeat, omnino est opus ut qui adeunt in coetu manus ad radices applicent rationesque studiose inquirant, quibus contra progredientem

Catholicorum coetus magno esse rei catholicae emolumento testatur Pontifex,

consiliumque probat agendi conventum adversus Massonum sectam,

de qua impugnanda se plura edidisse documenta memorat,

quae diligenter in futuro conventu attendenda

sectarum vim efficacius sit enitendum. Has quidem rationes in Litteris Encyclicis nuper commemoratis copiose Nos exposuimus, quae tamen omnes in id unum conferri possunt, ut in quibus maxime oppugnatio a Massonibus instituitur, in iis ipsis a vobis propugnatio suscipiatur. Oportet igitur ea pontificiae auctoritatis providentiaeque documenta sic habeantur et maneant tamquam praescripta certaeque normae, quibus maxima cum religione obtemperetur, quum a vobis deliberantibus tum ab iis subinde quotquot eidem caussae ingenium suum ac operam sint collaturi. — Certe autem, quod alias diximus, audacissimae impietatis dogmata, quae secta illa consectatur et flagitiosae quibus nititur artes, minus afferent calamitatis, sensimque per se considerent, si catholici homines faciem suam Massonibus reddendam impensiore sollertia curent. Ii nimirum mendacio tenebrisque fidunt; ast ementita species si detrahatur, pronum est ut quotquot recte sentiunt eorum nequissimam perversitatem norint ac detestentur. — Christi igitur et animarum urgente caritate, coeptis vestris gratulamur, eisque ut Dei benignitas faveat precamur volentes. — Confidimus sane conventum vestrum novos catholicis additurum stimulos, ut parcentes errantibus, errori ne parcant, et quae Christus hominibus impertiit praestantissima bona violari ullo modo ne sinant. Haec autem ut pro votis cedant, tibi, dilecte fili, universisque qui congressui intererunt, auspicem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino elargimur.

monet, ut uberes ex ipso fructus proveniant.

Massonibus ut sua reddatur facies exoptat.

Conventui fausta apprecatur, congressurosque monet ut errantibus quidem, nequaquam vero errori parcant.

Datum Romae apud S. Petrum die II septembris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

13 SEPT. 1896.

APOSTOLICAE curae et caritatis, qua *Pastorem magnum ovium, Dominum nostrum Iesum Christum* (1), referre pro munere et imitari aspirante eius gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Anglorum nationi tribuimus. Voluntatis in ipsam Nostrae ea praecipue testis est epistola quam superiore anno dedimus propriam *ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quaerentes:* eiusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre coniunctionem commemorando revocavimus, et felicem reconciliationem, excitata in animis orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem, quum communibus universe litteris de unitate Ecclesiae fusius agere visum est, non ultimo loco respeximus Angliam; spe praelucente, posse documenta Nostra tum catholicis firmitatem tum dissidentibus salutare lumen afferre. Atque illud fateri libet quod aeque gentis humanitatem ac multorum sollicitudinem salutis aeternae commendat, id est quam benevole Anglis probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanae rationis impulsu. — Nunc autem eâdem Nos mente eodemque animo deliberatum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti caussam, quae cum ea ipsa re votisque Nostris cohaeret. Quod enim apud Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianae centro abscessum est, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit publice inductus; defecisse idcirco verum Ordinis sacramentum, quale Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, iam tenuit communis sententia, quam non semel Ecclesiae acta et constans disciplina firmarunt. Attamen recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia, sacraene Ordinationes ritu eduardiano peractae, natura sacramenti effectuque polleant; faventibus, affirmate vel dubitanter,

Saepe Pontifex Anglorum genti benevolentiam suam testatus est, ipsam percupiens Ecclesiae matri reconciliari.

Tractaturus jam est de ordinationibus ritu eduardino peractis, quas quidem irritas jam tenuit communis sententia,

nonnulli vero, nostra praesertim aetate, habent validas.

1. *Hebr.*, XIII, 20.

non modo scriptoribus anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis praesertim non anglis. Alteros quippe movebat praestantia sacerdotii christiani, exoptantes ut duplici eius in corpus Christi potestate ne carerent sui; movebat alteros consilium expediendi quodammodo illis reditus ad unitatem: utrisque vero hoc persuasum esse videbatur, iam studiis in eo genere cum aetate provectis, novisque litterarum monumentis ex oblivione erutis, retractari auctoritate Nostra caussam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicae caritatis, censuimus nihil non experire quod videretur quoquo modo conducere ad animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

Opportunum ideo visum est ipsis hanc causam retractari auctoritate S. Sedis.

Placuit igitur de retractanda caussa benignissime indulgere: ita sane, ut per summam novae disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris doctrina et eruditione praestantibus, quorum compertae erant dissimiles in ipsa caussa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiae suae scriptis mandarent: eos deinde ad Nos accitos iussimus communicare inter se scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognitu esset dignum, indagare atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna omni possent copia in tabulariis vaticanis sive nota recognoscere sive inexplorata educere; itemque ut prompta haberent quaecumque eiusdem generis acta apud sacrum Consilium, quod *Suprema* vocatur, asservarentur, neque minus quaecumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evulgassent. Huiusmodi adiumentis instructos, voluimus eos in singulares congressiones convenire; quae ad duodecim sunt habitae, praeside uno ex S. R. E. Cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum ceteris documentis, Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus ex eodem Consilio iussimus exhiberi omnia; qui meditatâ caussa eâque coram Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent.

Qua de re benigne indulsit Pontifex, summamque sollertiam fuisse adhibitam ad causam rite retractandam exponit.

Hoc ducendae rei ordine praestituto, ad intimam tamen

Ante omnia

autem perpensa fuisse notat ea documenta quae de reconciliandā ecclesia Angliae tradidit legato suo Julius III,

aestimationem caussae aequum erat non ante aggredi, quam id perstudiose quaesitum apparuisset, quo loco ea iam esset secundum Apostolicae Sedis praescriptiones institutamque consuetudinem ; cuius consuetudinis et initia et vim magni profecto intererat reputare. Quocirca in primis perpensa sunt documenta praecipua quibus Decessores Nostri, rogatu reginae Mariae, singulares curas ad reconciliationem ecclesiae Anglicae contulerunt. Nam Iulius III Cardinalem Reginaldum Polo, natione Anglum, multiplici laude eximium, Legatum de latere ad id opus destinavit, *tamquam pacis et dilectionis angelum suum*, eique mandata seu facultates extra ordinem normasque agendi tradidit (1) ; quas deinde Paulus IV confirmavit et declaravit. In quo ut recte colligatur quidnam in se commemorata documenta habeant ponderis, sic oportet fundamenti instar statuere, eorum propositum nequaquam a re abstractum fuisse, sed rei omnino inhaerens ac peculiare. Quum enim facultates Legato apostolico ab iis Pontificibus tributae, Angliam dumtaxat religionisque in ea statum respicerent ; normae item agendi ab eisdem eidem Legato quaerenti impertitae, minime quidem esse poterant ad illa generatim decernenda sine quibus sacrae ordinationes non valeant, sed debebant attinere proprie ad providendum de ordinibus sacris in eo regno, prout temporum monebant rerumque conditiones expositae. Hoc ipsum, praeter quam quod ex natura et modo eorumdem documentorum perspicuum est, inde pariter liquet, quod alienum prorsus fuisset, ita velle de iis quae sacramento Ordinis conficiendo necesse sunt, propemodum commonefieri Legatum, eumque virum cuius doctrina etiam in Concilio Tridentino eluxerat.

quae quidem ad ipsum spectabant causam ordinationum anglicanarum.

Has Julium habuisse irritas ex eo patet quod postea ad legatum scribens eos posse promoveri ad

Ista prope tenentibus non difficulter patebit quare in litteris Iulii III ad Legatum apostolicum, perscriptis die VIII martii MDLIV, distincta sit mentio, de iis primum qui *rite et legitime promoti*, in suis ordinibus essent retinendi, tum de iis qui *non promoti ad sacros ordines*, possent, *si digni et idonei reperti fuissent, promoveri.* Nam certe defi-

1. Id factum augusto mense MDLIII per litteras sub plumbo, *Si ullo unquam tempore* et *Post nuntium Nobis*, atque alias.

niteque notatur, ut reapse erat, duplex hominum classis: hinc eorum qui sacram ordinationem vere suscepissent, quippe id vel ante Henrici secessionem, vel si post eam et per ministros errore dissidiove implicitos, ritu tamen catholico consueto; inde aliorum qui initiati essent secundum Ordinale eduardianum, qui propterea possent *promoveri*, quia ordinationem accepissent irritam. Neque aliud sane Pontificis consilium fuisse, praeclare confirmat epistola eiusdem Legati, die XXIX ianuarii MDLV, facultates suas episcopo Norwicensi demandantis. Id amplius est potissime considerandum quod eae ipsae Iulii III litterae afferunt, de facultatibus pontificiis libere utendis, etiam in eorum bonum quibus munus consecrationis, *minus rite et non servatâ forma Ecclesiae consueta*, impensum fuit: qua quidem locutione ii certe designabantur qui consecrati eduardiano ritu; praeter eam namque et catholicam formam alia nulla erat eo tempore in Anglia.

17 SEPT. 1896.

ordines dicit qui non promoti ad sacros ordines *fuerant: designari autem his verbis eos qui ritu eduardino consecrati fuerant, ex ipsis litteris constat.*

Haec autem apertiora fient commemorando legationem quam Philippus et Maria reges, suadente Cardinali Polo, Romam ad Pontificem februario mense MDLV miserunt. Regii oratores, viri tres *admodum insignes et omni virtute praediti*, in quibus Thomas Thirlby, episcopus Eliensis, sic habebant propositum, Pontificem de conditione rei religiosae in eo regno notitia ampliore edocere, ab ipsoque in primis petere ut ea quae Legatus ad eiusdem regni cum Ecclesia reconciliationem curaverat atque effecerat, haberet rata et confirmaret: eius rei caussâ omnia ad Pontificem allata sunt testimonia scripta quae oportebat, partesque Ordinalis novi proxime ad rem facientes. Iamvero Paulus IV legatione magnifice admissa, eisdemque testimoniis per certos aliquot Cardinales *diligenter discussis*, et *habita deliberatione matura*, litteras *Praeclara carissimi* sub plombo dedit die XX iunii eodem anno. In his quum comprobatio plena et robur additum sit rebus a Polo gestis, de ordinationibus sic est praescriptum:... *qui ad ordines ecclesiasticos... ab alio quam ab episcopo rite et recte ordinato promoti fuerunt, eosdem ordines... de novo suscipere teneantur.* Quinam autem essent episcopi tales, *non rite recteque ordinati*, satis iam

Paulus item IV, a Philippo et Maria regibus ad ipsum legatione missa de re religiosa in Anglia,

litteras dedit Praeclara carissimi, *ex quibus patet irritas teneri a Pontifice ordinationes secundum novam ritualem formam collatas*

indicaverant superiora documenta, facultatesque in eam rem a Legato adhibitae : ii nimirum qui ad episcopatum, sicut alii ad alios ordines, promoti essent, *non servatâ forma Ecclesiae consueta*, vel non servata *Ecclesiae forma et intentione*, prout Legatus ipse ad episcopum Norwicensem scribebat. Hi autem non alii profecto erant nisi qui promoti secundum novam ritualem formam ; cui quoque examinandae delecti Cardinales attentam operam dederant. Neque praetermittendus est locus ex eisdem Pontificis litteris, omnino rei congruens ; ubi cum aliis beneficio dispensationis egentibus numerantur qui *tam ordines quam beneficia ecclesiastica nulliter et de facto obtinuerant. Nulliter* enim obtinuisse ordines idem est atque irrito actu nulloque effectu, videlicet *invalide*, ut ipsa monet eius vocis notatio et consuetudo sermonis ; praesertim quum idem pari modo affirmetur de ordinibus quod de *beneficiis ecclesiasticis*, quae ex certis sacrorum canonum institutis manifesto erant nulla, eo quia cum vitio infirmante collata. Huc accedit quod ambigentibus nonnullis quinam revera episcopi, *rite et recte ordinati* dici et haberi possent ad mentem Pontificis, hic non multo post, die XXX octobris, alias subiecit litteras in modum Brevis: atque, *Nos*, inquit, *haesitationem huiusmodi tollere, et serenitati conscientiae eorum qui schismate durante ad ordines promoti fuerant, mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris habuimus clarius exprimendo, opportune consulere volentes, declaramus eos tantum episcopos et archiepiscopos qui non in forma Ecclesiae ordinati et consecrati fuerunt, rite et recte ordinatos dici non posse.* Quae declaratio, nisi apposite ad rem Angliae praesentem, id est ad Ordinale eduardianum, spectare debuisset, nihil certe confecerat Pontifex novis litteris, quo vel *haesitationem tolleret* vel *serenitati conscientiae consuleret.* Ceterum Apostolicae Sedis documenta et mandata non aliter quidem Legatus intellexit, atque ita eis rite religioseque obtemperavit : idque pariter factum a regina Maria et a ceteris qui cum ea dederunt operam ut religio et instituta catholica in pristinum locum restituerentur.

idemque testantur Pontificis litterae, postea datae.

Nec aliter religionis restaurandae fautores illa S. Sedis documenta intellexerunt.

Exponit jam Pontifex optimam illo-

Auctoritates quas excitavimus Iulii III et Pauli IV aperte ostendunt initia eius disciplinae quae tenore constanti, iam

tribus amplius saeculis, custodita est, ut ordinationes ritu eduardiano, haberentur infectae et nullae ; cui disciplinae amplissime suffragantur testimonia multa earumdem ordinationum quae, in hac etiam Urbe, saepius absoluteque iteratae sunt ritu catholico. — In huius igitur disciplinae observantia vis inest opportuna proposito. Nam si cui forte quidquam dubitationis resideat in quamnam vere sententiam ea Pontificum diplomata sint accipienda, recte illud valet : *Consuetudo optima legum interpres.* Quoniam vero firmum semper ratumque in Ecclesia mansit, Ordinis sacramentum nefas esse iterari,fieri nullo pacto poterat ut talem consuetudinem Apostolica Sedes pateretur tacita ac toleraret. Atqui eam non toleravit solum, sed probavit etiam et sanxit ipsa, quotiescumque in eadem re peculiare aliquod factum incidit iudicandum. Duo eiusmodi facta in medium proferimus, ex multis quae ad *Supremam* sunt subinde delata: alterum,anno MDCLXXXIV, cuiusdam Calvinistae Galli, alterum, anno MDCCIV, Ioannis Clementis Gordon ; utriusque secundum rituale eduardianum suos adepti ordines. In primo, post accuratam rei investigationem, consultores non pauci responsa sua, quae appellant vota, de scripto ediderunt, ceterique cum eis in unam conspirarunt sententiam, *pro invaliditate ordinationis:* tantum quidem ratione habita opportunitatis,placuit Cardinalibus respondere,*Dilata.* Eadem vero acta repetita et ponderata sunt in facto altero: quaesita sunt praeterea nova consultorum vota, rogatique doctores egregii e Sorbonisis ac Duacenis, neque praesidium ullum perspicacioris prudentiae praetermissum est ad rem penitus pernoscendam. Atque hoc animadvertisse oportet quod, tametsi tum ipse Gordon cuius negotium erat,tum aliqui consultores inter caussas *nullitatis* vindicandae etiam adduxissent illam prout putabatur ordinationem Parkerii, in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea caussa, ut documenta produnt integrae fidei, neque alia ratio est reputata nisi *defectus formae et intentionis.* Qua de forma quo plenius esset certiusque iudicium,cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret ; atque etiam cum eo singulae collatae sunt formae ordinandi,ex variis orientalium et occidentalium ritibus con-

13 SEPT. 1896.

rum documentorum interpretem esse Ecclesiae disciplinam habentis ordinationes ritu eduardino infectas. Quae quidem disciplina ex eo demonstratur quod saepius illae ordinationes iteratae sunt ritu catholico, id quidem probante Ap. Sede, ut multa testantur facta ad Supremam *delata. Duo ejusmodi facta Pontifex exponit, alterum cujusdam Calvinistae Galli, alterum Joannis Clementis Gordon.*

Clementis XI decretum in causa Gordon

quisitae. Tum Clemens XI, Cardinalium ad quos pertinebat consentientibus suffragiis, ipsemet feria V, die XVII aprilis MDCCIV, *decrevit :* « Ioannes Clemens Gordon *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum Confirmationis suscipiat ». Quae sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit : tunc enim praescriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur. Eo autem pluris refert considerare, eamdem Pontificis sententiam spectare universe ad omnes Anglicanorum ordinationes. Licet enim factum attigerit peculiare, non tamen ex peculiari quapiam ratione profecta est, verum ex *vitio formae*, quo quidem vitio ordinationes illae aeque afficiuntur omnes : adeo ut, quoties deinceps in re simili decernendum fuit, toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.

Pontifex perpendit.

Licet ab Apostolica Sede fuerit sic controversia definita, tamen in Ordinale Anglicanum rursus inquiri Pontifex pro sua indulgentia jussit.

Quae quum ita sint, non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitatam, Apostolicae Sedis iudicio definitam multo antea fuisse: documentisque illis haud satis quam oportuerat cognitis, fortasse factum ut scriptor aliquis catholicus disputationem de ea libere habere non dubitarit. Quoniam vero, ut principio monuimus, nihil Nobis antiquius optatiusque est quam ut hominibus recte animatis maximâ possimus indulgentia et caritate prodesse, ideo iussimus in Ordinale anglicanum, quod caput est totius caussae, rursus quam studiosissime inquiri.

Doctrina de sacramentis novae legis exponitur.

In ritu cuiuslibet sacramenti conficiendi et administrandi iure discernunt inter partem *caeremonialem* et partem *essentialem*, quae *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt, sacramenta novae legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quae significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, praecipue tamen ad formam pertinet ; quum materia sit pars per se non determinata, quae per illam determinetur. Idque in sacramento Ordinis manifestius apparet, cuius conferendi materia, quatenus hoc loco se dat

Materia in iis per formam determinatur, ut manifestius in Ordine apparet.

considerandam, est manuum impositio ; quae quidem nihil definitum per se significat, et aeque ad quosdam Ordines, aeque ad Confirmationem usurpatur. — Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini* (1), eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti* (2). Forma huiusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri :* sed hoc potius convincit, Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adiectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum Ordinale eduardianum ; quum propterea, Hierarchiâ extincta, potestas ordinandi iam nulla esset. Nequidquam porro auxilium caussae novissime arcessitum est ab aliis eiusdem Ordinalis precibus. Nam, ut cetera praetereantur quae eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare.

13 SEPT. 1896.

Forma vero ad ordinationem presbyteralem ab Anglicanis adhibita manca fuit : quae vero verba ipsi addita postea fuere, vim suam, si quam forte haberent, exerere non jam potuerunt ob extinctam Hierarchiam.

De consecratione episcopali similiter est. Nam formulae, *Accipe Spiritum Sanctum*, non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi*, sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, iudicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse praefationis precem, *Omnipotens Deus ;* quum ea pariter deminuta sit verbis quae *summum sacerdotium* declarent. Sane nihil, huc attinet explorare, utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus : aut collatus, ut aiunt, *per saltum*, scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne.

Manca similiter fuit episcopalis consecrationis forma, nec restituta suae integritati per verba serius adnexa. Nec habet ad consecrandum episcopum vim ullam oratio Omnipotens Deus,

1. Trid. Sess. XXIII, *de sacr. Ord., can.* 1. — 2. *Ib.* Sess. XXII, *de sacrif. Missae, can.* 3.

quippe quae fuerit sic deminuta ut nullam jam inducat consecrationis episcopalis ad sacramentum Ordinis rationem.

At ipse procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum Ordinis verissime pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium ; quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali nostra consuetudine *summum sacerdotium, sacri ministerii summa* nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum Ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali eiusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac iure possit conferri : eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam Eucharistiam et sacrificium.

Exponit Pontifex Ordinale Anglicanum a suis auctoribus fuisse ad errores Novatorum ita accommodatum,

Ad rectam vero plenamque Ordinalis anglicani aestimationem, praeter ista per aliquas eius partes notata, nihil profecto tam valet quam si probe aestimetur quibus adiunctis rerum conditum sit et publice constitutum. Longum est singula persequi, neque est necessarium : eius namque aetatis memoria satis diserte loquitur, cuius animi essent in Ecclesiam catholicam auctores Ordinalis, quos adsciverint fautores ab heterodoxis sectis, quo demum consilia sua referrent. Nimis enimvero scientes quae necessitudo inter fidem et cultum, inter *legem credendi et legem supplicandi* intercedat, liturgiae ordinem, specie quidem redintegrandae eius formae primaevae, ad errores Novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi ; sed immo omnia huiusmodi rerum vestigia, quae superessent in precationibus ritus catholici non plane reiectis, sublata et deleta sunt de industria, quod supra attigimus. Ita per se apparet nativa Ordinalis indoles ac spiritus, uti loquuntur.

ut ad usum ordinationum jam non valeret sic deformatum, nec potuerit postea ab hoc originali vitio rite purgari,

Hinc vero ab origine ducto vitio,si valere ad usum ordinationum minime potuit, nequaquam decursu aetatum, quum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque ii egerunt frustra qui inde a temporibus Caroli I conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, nonnullâ dein ad Ordinale facta accessione : frustraque similiter contendit pars ea Anglicanorum non ita magna, recentiore tempore coa-

lita, quae arbitratur posse idem Ordinale ad sanam rectamque sententiam intelligi et deduci. Vana, inquimus, fuere et sunt huiusmodi conata : idque hac etiam de caussa, quod, si qua quidem verba, in Ordinali anglicano ut nunc est, porrigant se in ambiguum, ea tamen sumere sensum eumdem nequeunt quem habent in ritu catholico. Nam semel novato ritu, ut vidimus, quo nempe negetur vel adulteretur sacramentum Ordinis, et a quo quaevis notio repudiata sit consecrationis et sacrificii ; iam minime constat formula, *Accipe Spiritum Sanctum*, qui Spiritus, cum gratia nimirum sacramenti, in animam infunditur ; minimeque constant verba illa, *ad officium et opus presbyteri* vel *episcopi* ac similia, quae restant nomina sine re quam instituit Christus. — Huius vim argumenti perspectam ipsi habent plerique Anglicani, observantiores Ordinalis interpretes ; quam non dissimulanter eis obiiciunt qui, nove ipsum interpretantes, Ordinibus inde collatis pretium virtutemque non suam spe vana affingunt. Eodem porro argumento vel uno illud etiam corruit, opinantium posse in legitimam Ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus, bonorum omnium largitor*, quae sub initium est ritualis actionis ; etiamsi forte haberi ea posset tamquam sufficiens in ritu aliquo catholico quem Ecclesia probasset. — Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis*, quam aeque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat : at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse,

13 SEPT. 1896.

quum in ipso verba usurpentur alieno sensu ab eo qui ad Sacramentum conficiendum requiritur.

Hujus vis argumenti, ab ipsis perspecta Anglicanis, extenditur ad deprecationem Omnipotens Deus.

Ordinationes anglicanae non tantum ob formae defectum *irritae sunt, sed et ob* defectum intentionis.

sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Causam hanc summa sapientia fuisse ab Apostolica Sede judicatam omnes consensere in Suprema *judices, ipsam iterum scrutati; Pontifex vero, rei opportunitate maturius perpensa,*

Isthaec omnia diu multumque reputavimus apud Nos et cum Venerabilibus Fratribus Nostris in *Suprema* iudicibus; quorum etiam Coetum singulariter coram Nobis advocare placuit feria V, die XVI iulii proximi, in commemoratione Mariae D. N. Carmelitidis. Iique ad unum consensere, propositam caussam iam pridem ab Apostolica Sede plene fuisse et cognitam et iudicatam; eius autem denuo instituta actâque quaestione, emersisse illustrius quanto illa iustitiae sapientiaeque pondere totam rem absolvisset. Verumtamen optimum factu duximus supersedere sententiae, quo et melius perpenderemus conveniret ne expediretque eamdem rem auctoritate Nostra rursus declarari, et uberiorem divini luminis copiam supplices imploraremus. — Tum considerantibus Nobis ut idem caput, etsi iure iam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum caussa sit revocatum; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putent se ibi Ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

irritas declarat Ordinationes ritu anglicano peractas;

Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa caussa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronunciamus et declaramus, Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

jamque dissidentes, qui Ordinum beneficia requirunt, hortatur ut ad unicum redeant ovile Christi, maxima ibi adjumenta ad salutem reperturi.

Hoc restat, ut quo ingressi sumus *Pastoris magni* nomine et animo veritatem tam gravis rei certissimam commonstrare, eodem adhortemur eos qui Ordinum atque Hierarchiae beneficia sincera voluntate optent ac requirant. Usque adhuc fortasse, virtutis christianae intendentes ardorem, religiosius consulentes divinas litteras, pias duplicantes preces, incerti tamen haeserunt et anxii ad vocem Christi iamdiu intime admonentis. Probe iam vident quo se bonus ille invitet ac velit. Ad unicum eius ovile si redeant, tum vero et quaesita beneficia assecuturi sunt et consequentia salutis praesidia, quorum administram fecit ipse Ecclesiam, quasi

redemptionis suae custodem perpetuam et procuratricem in gentibus. Tum vero *haurient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, sacramentis eius mirificis ; unde fideles animae in amicitiam Dei, remissis vere peccatis, restituuntur, caelesti pane aluntur et roborantur, adiumentisque maximis affluunt ad vitae adeptionem aeternae. Quorum bonorum revera sitientes, utinam *Deus pacis*, *Deus totius consolationis* faciat compotes atque expleat perbenignus. — Hortationem vero Nostram et vota eos maiorem in modum spectare volumus, qui religionis ministri in communitatibus suis habentur. Homines ex ipso officio praecedentes doctrina et auctoritate, quibus profecto cordi est divina gloria et animorum salus, velint alacres vocanti Deo parere in primis et obsequi, praeclarumque de se edere exemplum. Singulari certe laetitia eos Ecclesia mater excipiet omnique complectetur bonitate et providentia, quippe quos per arduas rerum difficultates virtus animi generosior ad sinum suum reduxerit. Ex hac vero virtute dici vix potest quae ipsos laus maneat in coetibus fratrum per catholicum orbem, quae aliquando spes et fiducia ante Christum iudicem, quae ab illo praemia in regno caelesti! Nos quidem, quantum omni ope licuerit, eorum cum Ecclesia reconciliationem fovere non desistemus ; ex qua et singuli et ordines, id quod vehementer cupimus, multum capere possunt ad imitandum. Interea veritatis gratiaeque divinae patentem cursum ut secundare contendant fideliter, per viscera misericordiae Dei nostri rogamus omnes et obsecramus.

13 SEPT. 1896.

Eis in primis reconciliationem cum Ecclesia suadet qui religionis ministri in communitatibus suis habentur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse ; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus : irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Praesentium litterarum auctoritatem vindicat.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam

impressis, manu tamen Notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, Idibus septembribus, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. CARD. BIANCHI PRO-DATARIVS

C. CARD. DE RVGGIERO

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium.

I. CVGNONIVS.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE ROSARIO MARIALI.

FIDENTEM piumque animum erga Virginem beatissimam, quem inde a teneris haustum, totâ vita studuimus alere et augere, iam saepius in summo Pontificatu licuit Nobis apertiusque testari. Tempora enim nacti aeque calamitosa rei christianae ac populis ipsis periculosa, nempe cognovimus quanti foret ad providendum, commendare vel maxime illud salutis pacisque praesidium quod in augusta Genitrice sua benignissime Deus humano generi attribuit, perpetuo eventu in Ecclesiae fastis insigne. Hortationibus votisque Nostris multiplex gentium catholicarum sollertia respondit, religione praesertim sacratissimi ROSARII excitatâ: neque copia desiderata est fructuum optimorum. Nos tamen expleri nequaquam possumus celebrandâ Matre divina, quae vere est *omni laude dignissima*, et commendando amoris studio in Matrem eamdem hominum, quae *plena est misericordiae, plena gratiarum.* Quin etiam animus, apostolicis curis defatigatus, quo propius sentit demigrandi tempus instare, eo contentiore fiducia respicit Illam, ex qua, tamquam ex felici aurora, inocciduae faustitatis laetitiaeque processit dies. Quod si, Venerabiles Fratres, iucundum memoratu est, aliis Nos datis ex intervallo litteris collaudasse Rosarii precem, utpote quae multis modis et pergrata sit ei cuius honori adhibetur, et iis perutilis cedat qui rite adhibeant, aeque est iucundum posse nunc idem insistere et confirmare propositum. Hinc autem praeclara se dat occasio ut mentes animosque ad religionis incrementa more paterno adhortemur, et acuamus in eis praemiorum spem immortalium.

20 SEPT. 1896.

B. Mariae V. cultum, nostris oportunissimum temporibus, saepius se iam commendasse Fidelibus Pontifex memorat.

Instante iam morte, Matrem Dei hominumque fidentius his litteris laudaturus est

Precem iterum Rosarii celebrando, unde se dat hortandi Fideles praeclara occasio.

Precandi formae, de qua dicimus, appellatio adhaesit propria Rosarii, velut si rosarum suavitatem venustatemque sertorum contextu suo imitetur. Quod quidem ut peraptum est instituto colendae Virginis, quae *Rosa mystica* Paradisi merito salutatur, quaeque universorum Regina stellante ibi

Rosarii nomen congruum huic precandi formae est quae Reginam Coeli Rosamque mysticam

Paradisi salutat, nobisque parat gloriae coronam.

corona praefulget, ita videtur nomine ipso adumbrare augurium, cultoribus suis ab illa oblatum, de gaudiis sertisque caelestibus. — Hoc autem perspicue apparet, si quis Rosarii marialis rationem consideret. Nihil quippe est quod Christi Domini et Apostolorum tum praecepta tum exempla gravius suadeant, quam invocandi Dei exorandique officium. Patres deinde ac doctores commonuerunt tantae id esse necessitatis, ut homines, eo neglecto, sibi frustra de sempiterna salute assequenda confidant. Quum vero cuiquam oranti, ex rei suapte vi atque ex promissione Christi, aditus pateat ad impetrandum, ex duabus tamen praecipue rebus, ut nemo ignorat, maximam efficacitatem trahit precatio ; si perseveranter assidua, si complurium sit in unum collata. Alterum ea declarant plena bonitatis invitamenta Christi, *petite, quaerite, pulsate* (1) ; plane ad similitudinem parentis optimi, qui liberorum vult ille quidem indulgere optatis, sed etiam gaudet se diu rogari ab eis et quasi precibus fatigari, ut ipsorum animos arctius sibi devinciat. De altero idem Dominus non semel testatus est : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo*, eo quod, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (2). Ex quo illud Tertulliani nervose dictum : *Coimus in coetum et congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus; haec Deo grata vis est* (3) : illudque commemorabile Acquinatis : *Impossibile est multorum preces non exaudiri, si ex multis orationibus fiat quasi una* (4). — Ea utraque commendatio egregie in Rosario praestat. In hoc enim, plura ne persequamur, eisdem ingeminandis precibus regnum gratiae et gloriae suae a Patre caelesti implorare contendimus ; Virginemque Matrem etiam atque etiam obsecramus ut culpae obnoxiis succurrere nobis deprecando velit, quum in omni vita, tum sub horam extremam quae gradus est ad aeternitatem. Eiusdem autem Rosarii formula ad precationem communiter habendam optime accommodata est ; ut non sine caussa nomen etiam

Ad salutem enim necessaria oratio est.

quae tum maxime est efficax cum perseveranter orant

complures in unum congregati.

Constat vero Rosarii formula precibus saepe iterandis, atque ad precationem communem accommodatissimis.

1. *Matth.* VII, 7. — 2. *Ib.*, XVIII, 19, 20. — 3. *Apologet.*, c. XXXIX. — 4. *In Evang. Matth.*, c. XVIII.

psalterii mariani obtinuerit. Atque ea religiose custodienda est vel redintegranda consuetudo quae apud patres viguit, quum familiis christianis, aeque in urbibus atque in agris, id sanctum erat ut, decedente die, ab aestu operum ante effigiem Virginis rite convenientes, Rosarii cultum alterna laude persolverent. Quo ipsa fideli concordique obsequio admodum delectata, sic eis aderat perinde ac bona mater in corona filiorum, pacis domesticae impertiens munera, quasi pacis praenuncia caelestis. — Hac quidem communis precationis virtute spectata, inter ea quae pluries de Rosario placuit decernere, etiam ediximus « Nobis esse in optatis « ut in dioeceseon singularum templo principe quotidie, in « templis curialibus diebus festis singulis, ipsum recitetur(1)». Id autem constanter et studiose fiat: libentesque videmus id fieri et propagari in aliis quoque publicae pietatis sollemnibus, atque in pompis peregrinantium ad insigniora templa, quarum commendanda est frequentia increscens. — Quiddam praeterea et periucundum et salubre animis habet ista precum laudumque marialium consociatio. Nosque ipsi tunc maxime sensimus, ac memor gestit animus revocare, quum per singularia quaedam tempora Pontificatus Nostri in basilica Vaticana adfuimus, circumfuso omnium ordinum numero ingenti, qui una Nobiscum mente, voce, fiducia, per Rosarii mysteria et preces enixe supplicabant Adiutrici nominis catholici praesentissimae.

20 SEPT. 1896.

Laudatur familiarum christianarum consuetudo Rosarium recitandi.

Memorat Pontifex decreta sua de Rosario in ecclesiis recitando, de aliisque gaudet cultus illius incrementis.

Communem Rosarii precationem jucundissimam animo ac saluberrimam esse Pontifex experimentis cognovit.

Ecquis vero fiduciam in praesidio et ope Virginis tantopere collocatam, putare velit et arguere nimiam? Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (2). At vero si *nihil prohibet*, ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter*(3), cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae

Non nimia est ea fiducia quam in Mariae praesidio collocamus, quum praeter perfectum Conciliatorem Christum alii possint secundum quid mediatores dici Deum inter et homines,

1. Litt. apost. *Salutaris ille*, datae die XXIV decembr. an. MDCCCLXXXIII. — 2. I *Tim.*, II, 5, 6. — 3. III, q. XXVI, aa. 1, 2.

quodquidem imprimis convenit Mariae. Ipsa partes egit in generis humani redemptione eximias,

et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tum scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, *loco totius humanae naturae* (1), excepit : ipsa est *de qua natus est Iesus*, vera scilicet eius Mater, ob eamque caussam digna et peraccepta *ad Mediatorem Mediatrix.* — Quarum rerum mysteria quum in Rosarii ritu ex ordine succedant piorum animis recolenda et contemplanda, inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra. Nec potest quisquam non suavissime affici quoties eam considerat, quae vel in domo Elisabethae administra charismatum divinorum apparet, vel Filium pastoribus, regibus, Simeoni praebet infantem. Quid vero quum consideret,sanguinem Christi caussâ nostra profusum ac membra in quibus ille Patri vulnera accepta, *nostrae pretia libertatis*, ostendit, non aliud ea esse nisi carnem et sanguinem Virginis ? siquidem, *caro Iesu caro est Mariae ; et quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen carnis mansit et manet natura quae suscepta est de Maria* (2).

quas Rosarium colendo contemplamur affectu suavissimo.

Incrementum accipit insigne ex Rosarii cultu virtus fidei,

Sed alius quidam fructus insignis e Rosario consequitur, cum temporum ratione omnino connexus ; cuius Nos alias mentionem intulimus. Is nimirum est fructus, ut quando virtus fidei divinae tam multis vel periculis vel incursibus obiecta quotidie est, homini christiano hinc etiam bene suppetat quo alere eam possit et roborare. — *Auctorem fidei et consummatorem* nominant Christum divina eloquia (3): *auctorem*, eo quia docuit ipse homines multa quae crederent, de se praecipue in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (4), idemque gratiâ et velut unctione sancti Spiritus benigne dat unde credant ; *consummatorem*, quia res per velamen in mortali vita ab eis perceptas, pandit ipse apertas in caelo,

siquidem ejus, qui fidei Auctor est

et consummator,

1. S. Th., III, q. XXX, a. 1. — 2. *De assumpt. B. M. V.*, c. v, *inter opp.* S. Aug. — 3. *Hebr.*, XII, 2. — 4. *Col.*, II, 9.

ubi habitum fidei in claritudinem gloriae commutabit. Sane vero in Rosarii instituto luculenter eminet Christus ; cuius vitam meditando conspicimus, et privatam in gaudiis, et publicam summos inter labores doloresque ad mortem, denique gloriosam, quae ab anastasi triumphantis, in aeternitatem profertur sedentis ad dexteram Patris. Et quoniam fides, ut plena dignaque sit, se prodat necesse est, *corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (1) ; propterea ad hanc etiam habemus ex Rosario facultatem optimam. Nam per eas quibus intexitur vocales preces, licet expromere ac profiteri fidem in Deum, providentissimum nostri patrem, in venturi saeculi vitam, in peccatorum remissionem ; etiam in mysteria Trinitatis augustae, Verbi hominis facti, maternitatis divinae atque alia. Nemo autem est nescius quantum sit pretium meritumque fidei. Quippe fides non secus est ac lectissimum germen, virtutis omnis flores in praesentia emittens, quibus probemur Deo, fructus deinde allaturum qui perpetuo maneant : *Nosse enim te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis* (2). — Admonet locus ut unum adiiciamus, attinens nimirum ad officia virtutum quae iure suo postulat fides. Est inter eas poenitentiae virtus, eiusque pars etiam est *abstinentia*, non uno nomine et debita et salutaris. In quo quidem si filios suos Ecclesia clementius in dies habet, at videant ipsi diligentiam sibi omnem esse adhibendam ut indulgentiam maternam aliis compensent officiis. Libet vero in hanc pariter caussam eumdem Rosarii usum cum primis proponere, qui bonos poenitentiae fructus, maxime ab angoribus Christi et Matris recolendis, aeque potest efficere.

Nitentibus igitur ad summum bonorum, sane quam providenti consilio hoc Rosarii adiumentum exhibitum est, idque tam promptum omnibus atque expeditum ut nihil magis. Quivis enim religione vel mediocriter institutus eo facile uti et cum fructu potest ; neque res est tanti temporis quae cuiusquam negotiis afferat moram. Opportunis clarisque exemplis abundant annales sacri : satisque est

20 SEPT. 1896.

vita omnis proponitur contemplanda in Mysteriis Rosarii.

Fidei profitendae facultatem optimam habemus ex vocalibus precibus Rosarii.

Pretium meritumque fidei exponitur.

Debet eximia poenitentiae virtus, quum abstinentiam Ecclesia temperaverit, aliis excoli officiis:

quam ad rem facit multum Rosarii cultus.

Hic autem, tot proferens fructus salutis, nemini gravis est.

1. *Rom.*, X, 10. — 2. *Sap.*, XV, 3.

cognitum multos semper fuisse, qui vel sustinentes graviora munera, vel curis operosis distenti, hanc tamen pietatis consuetudinem nullo unquam die intermisere. — Qua cum re suaviter congruit intimus ille religionis sensus quo animi erga coronam sacram feruntur, ut eam adament tamquam individuam vitae comitem fidumque praesidium; eamdemque in agone supremo complexi, auspicium dulce teneant ad *immarcescibilem gloriae coronam*. Auspicio plurimum favent beneficia *sacrae indulgentiae*, si perinde habeantur ac digna sunt: his enim amplissime Rosarii institutum a Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis est auctum. Eaque certe et morientibus et vita functis, quasi per manus misericordis Virginis impertita, valde sunt profutura, quo maturius expetitae pacis lucisque perpetuae fruantur solatiis.

Rosarium comes dulcis et praesidium est in vita et in morte.

Multis ipsum indulgentiis auctum est, permagni quidem aestimandis.

Haec, Venerabiles Fratres, permovent Nos ut formam pietatis tam excellentem, tamque utilem ad capiendum salutis portum, laudare et commendare gentibus catholicis ne cessemus. Sed alia praeterea id ipsum suadet caussa gravissima, de qua iam saepius litteris et allocutione animum aperuimus. — Videlicet, quum nos quotidie acrius ad agendum impellat id votum, quod ex divino Christi Iesu Corde concepimus, initae dissidentium reconciliationis fovendae, intelligimus quidem hanc praestantissimam unitatem nulla re melius parari posse et adstringi quam sanctarum precum virtute. Obversatur exemplum Christi, qui ut alumni disciplinae suae essent in fide et caritate *unum*, effusa ad Patrem obsecratione rogavit. Deque valida in idem deprecatione Matris eius sanctissimae, illustre documentum in historia est apostolica. In qua commemoratur primus Discipulorum coetus, promissam almi Spiritus amplitudinem magna spe flagitans et expectans; simulque Mariae praesentia comprecantis singulariter commemoratur. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Iesu* (1). Ut igitur ad eam, tamquam ad unitatis fautricem et custodem eximiam, recte se Ecclesia exoriens precando adiunxit, id similiter his temporibus per orbem catholicum fieri peropportunum est; toto praesertim

Ostendit Pontifex Rosarium, tantis insigne beneficiis, plurimum praeterea valere ad dissidentes Ecclesiae reconciliandos;

ideoque catholicos hortatur ut toto praesertim octobri illam

1. *Act.*, I, 14.

octobri, quem mensem iamdiu Nos divinae Matri, pro afflictis Ecclesiae temporibus implorandae, deditum sacrumque sollemni Rosarii ritu voluimus. — Proinde caleat ubique huiusmodi precis studium, ad propositum in primis sanctae unitatis. Neque aliud quidquam Mariae gratius acceptiusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptismate, una omnes eademque fide perfectaque caritate cum ipso et inter se cohaereant. — Eiusdem vero fidei mysteria augusta altius in animis per Rosarii cultum insideant, eo felicissimo fructu ut *imitemur quod continent et quod promittunt assequamur.*

20 SEPT. 1896.

reconciliationem deposcant Rosarium recitando.

Exoptat ut Rosarii cultus multum Fidelibus proficiat.

Interea munerum divinorum auspicem caritatisque Nostrae testem, singulis vobis cleroque ac populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Septembris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

AdRodulfum Cornely, Josephum Knabenbauer, Franciscum de Hummelauer,

DE STUDIIS BIBLICIS.

14 OCT. 1896.

Proposita synopsi documentorum quae de sacrae Scripturae studiis, tribus abhinc annis, edidit,

QUAM Nobis cordi sit ut divinorum librorum studia vigeant, abunde testantur litterae, quas de Scripturis sacris ad universos orbis catholici Episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, bibliorum sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis, eisdemque in fide catholica firmis, ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea librorum divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetereantur. — Haec Nostra quum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque scripturis sacris rite enarrandis tuendisque animo ac diligentiam intendunt. Vos autem, dilecti filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio libros omnes sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis. — Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis, quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus. Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem adprecamur, quo coepta ad auspicatum demum exitum deducatis. Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto Apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus

laudat Pontifex eximios scriptores S. J. qui libros sacros susceperunt perpetuis notationibus illustrandos; eisque de emensa feliciter laboris parte gratulatus, ea omnia adprecatur per quae praeclarum opus deducatur ad exitum.

vestris, qui operi praeclaro vobiscum adlaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Carolum Mariam Bonanni,

Praesidem Sodalium Prov. Rom. S.J. in Brasilia,

DE INSTITUTIONE JUVENUM.

19 OCT. 1896.

Laudat Pontifex eos qui adolescenti aetati erudiendae operam dant, discipulorumque animos ad religionis simul et patriae caritatem informant.

ROMAM e dissitis Brasiliae terris nuper advectus nihil maluisti potius, quam ut tua Nobis sodaliumque tuorum officia deferres; quorum testes libenti animo accepimus litteras, Nobis quas reddendas curasti. Quod vestrum est studium in Ytuensi maxime ac Neofriburgensi ephebeis moderandis, id satis Nobis in comperto erat. Quia vero industriam omnem diligimus, quae est in adolescenti aetate erudienda, eos iure suspicimus qui in eiusmodi magisterio, postposita quiete omni, versantur. Itaque, dilecte fili, te sodalesque tuos coeptis ut strenue insistatis hortamur; de Ecclesia etenim et civitate estis optime merituri, si utramque hominum copiâ auxeritis, qui ita ex eruditione vestra morati sint, ut prae se religionis simul et patriae caritatem ferant. Idque ut e votis cedat, caelestium vobis adiumentorum ubertatem precamur: benevolentiae autem Nostrae testimonium Apostolicam benedictionem tibi, sodalibus tuis, ephebis qui vobis educatoribus utuntur eorumque familiis universis, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Victorium Constantini,

DE STUDIO THEOLOGIAE MORALIS.

TUARUM exemplar *Institutionum Theologiae Moralis*, quas novissime expolitas secundis curis auctasque edidisti, gratum Nobis scito fuisse. Siquidem perspexisse in eo volumine videmur meditatum opus ac laboriosum ; idque documento est sedulo te scienterque his in disciplinis versari, quae profecto tanti sunt, quanti christianos mores nosse regere. Neque sumus nescii, te quidem hoc etiam nomine, multorum consensu, laudari quod in universa re morali pertractanda multum contendas bene provisa principia ponere, atque inde, quae consequentia sunt, ratione colligere. Cuiusmodi genus disputandi, si sapiens accesserit intelligensque iudicium, non modo ad persuadendum valet plurimum, sed ipsi Theologiae morali iubet esse, uti decet, philosophiam comitem eamdemque adiutricem. Quamobrem collaudandam censemus industriam tuam : cupimusque fore, ut ex isto labore tuo fructum aliquem capere opportune queant qui se ad christianam morum scientiam applicare consueverunt. — Interea caelestium munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem tibi peramanter impertimus.

20 OCT. 1896.

Laudat Pontifex Institutionum Theologiae Moralis *auctorem, quippe qui universam rem moralem ita tractet ut philosophiam jubeat comitem esse atque adjutricem Theologiae morali.*

Datum Romae apud S. Petrum die XX Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Praesules qui ob memoriam baptismi a Clodovaeo suscepti Rhemos convenerunt.

DE PERACTIS SAECULARIBUS FESTIS.

24 OCT. 1896.

AGNOVIMUS sane libentes, ea Rhemis nuperrime evenisse, quae, ineunte hoc anno, plurimum et ex corde vobis ominabamur. Insigni enim Episcoporum frequentiâ ac multis publicae pietatis grataeque recordationis sollemnibus, exitus decimi quarti saeculi est commemoratus, ex quo Clodovaeus, qui, rebus strenue gestis, iam veterem Francorum gloriam late protulerat, praestantiora demum agressus suscepto baptismate, sic aliis exemplo fuit, ut plura civium millia ad instituta christiana mature perduxerit. Eoque iucundius id Nobis accidit, quo praeclarior inde se dedit occasio, ut novas populus, ad avitum fidei decus vel revocandum vel augendum, sumeret vires; sacrisque e tota Gallia initis peregrinationibus, apud sancti Remigii exuvias, magnificentius translatas, vota in baptismo olim concepta peropportune instauraret. Provido autem supernoque consilio obtigisse existimamus, ut quae Rhemis, convenienter temporibus, sunt acta, ea veluti consecrari volueritis cultu et praesidio Rosarii Marialis, cui hunc praesertim mensem Octobrem plane deditum haud semel statuimus, et quo nihil fere aptius inveniri potest, ut fidei praeconia in mentibus penitus insideant ad incrementa virtutum. Studium igitur in rem tanti momenti impense adhibitum singulari meritaque prosequimur laude; vobisque gratias, ut par est, habemus cummaxime, de litteris amore obsequioque refertis, et ad rem ipsam enarrandam datis. In quibus placuerunt quidem communia pro Nostra incolumitate auspicia, memorisque animi significationes ob collata a Nobis benefacta, ut, ad memoriam eventus in religionis fastis auspicatissimi altius recolendam, fideles isthic in unum excitarentur. Maiori tamen solatio fuit et oblectationi nobilissimus ardor, ut,

Gaudet Pontifex feliciter esse peracta festa saecularia Clodovei regis optime de gente sua et Ecclesia meriti.

Varia autem pietatis argumenta quae illis diebus gens gallica edidit,

laete ipse perlegit exposita in litteris ad se datis a Praesulibus; quae quidem gratissimae Pontifici fuere

maiorum exempla sequuti, peculiari Nostrae in *primogenitam Ecclesiae filiam* caritati vestri cives respondeant. Non enim estis nescii, quam vehementer et quibus de caussis sit Nobis in optatis, ut, Episcoporum ductu et ope, fidei et voluntatum concordia, ad rei christianae tutelam, civilisque ipsius faustitatis provectum, inter Galliarum gentes arctior in dies foveatur. Quod ut ex desideriis et hortationibus Nostris fauste cedat, munerum divinorum auspicem, praecipuaeque Nostrae benevolentiae testem, singulis vobis, cleroque ac populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

hoc praecipue nomine quod testantur multum niti Gallos ut ipsius in primogenitam Ecclesiae filiam *caritati respondeant. Fidei et voluntatum concordiam iterum Pontifex exoptat inter Gallos perficiendam.*

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Germanum Morin,

DE IPSIUS COMMENTARIIS IN SS. PATRES.

3 NOV. 1896.

Gratum animum testatur Pontifex ob oblata sibi commentaria de Ss. Patrum doctrinis, scriptoremque laudat aemulatum exempla illorum Benedictinorum qui tot praeclaris operibus optime de disciplinis ecclesiasticis meriti sunt.

QUAE de sanctorum Patrum doctrinis traditisque posteritati scriptis commentaria ad hunc diem edidisti, ea Nobis offerre nuper placuit. Quo in munere observantiae quidem officium, quo id praestabatur, gratum acceptumque habuimus; multo inde tamen gratius, quod argumentum esset, Benedictinorum Familiam, sibi quidem cum accessione laudis, ecclesiasticis vero disciplinis utilitatis, ea studia repetere, unde praeteritis aetatibus tantum hausit luminis ac dignitatis. De suscepto igitur labore commendationem tibi, dilecte fili, impertimur; de peracto autem gratulationem significamus. Accedit praeterea, caritatis Nostrae testimonium, Apostolica benedictio, quam peramanter tibi in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die III Novembris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Card. Richard, Archiep. Parisiens.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS HAUD PROPUGNANDIS.

5 NOV. 1896.

RELIGIONI apud Anglos aeternaeque animorum saluti pro munere prospicientes, Constitutionem *Apostolicae curae*, ut nosti, proxime edidimus. In ea caussam gravissimam de ordinationibus anglicanis, iure quidem a Decessoribus Nostris multo antea definitam, indulgenter tamen a Nobis ex integro revocatam, consilium fuit absolute iudicare penitusque dirimere. Idque sane perfecimus eo argumentorum pondere eaque formularum tum perspicuitate tum auctoritate, ut sententiam Nostram nemo prudens recteque animatus compellere in dubitationem posset, catholici autem omnes summo deberent obsequio amplecti, tamquam perpetuo firmam, ratam, irrevocabilem. At vero diffiteri nequimus non ita a quibusdam catholicis esse responsum : id quod haud levi Nos aegritudine affecit. — Hoc tecum, dilecte fili Noster, communicare ideo placuit, quia ephemeridem *Revue anglo-romaine*, quae istic evulgatur, praecipue attingit. Sunt namque in eius scriptoribus qui eiusdem Constitutionis virtutem, non ut par est tuentur atque illustrant, sed infirmant potius tergiversando et disceptando. Quocirca evigilare oportet ut ex tali ephemeride ne quid dimanet quod cum propositis Nostris non plene conveniat : certeque praestat eam desistere atque omnino silere, ubi eisdem propositis coeptisque optimis difficultatem sit allatura. Similiter, quando ex Anglis dissidentibus ii certi homines qui veritatem rei de ordinationibus suis exquirere a Nobis sincero animo videbantur, veritatem ipsam a Nobis coram Deo significatam, animo longe alio acceperunt, plane consequitur ut catholici, quos supra commemoravimus, in eisque vir aliquis religiosus, agnoscant officium suum. Iam

Vindicat Pontifex vim et auctoritatem Constitutionis nuper a se de ordinationibus anglicanis editae.

Conqueritur quosdam catholicos, praecipue scriptores aliquos Ephemeridis Revue anglo-romaine *non ita hac in re sese gerere ut debent. Praesulem monet ut ea de ephemeride opportune statuat, quum dedeceat maxime catholicos se socios adjungere iis Anglis qui Constitutionem*

Apostolicam haud recto animo acceperunt.

nunc enim nec aequum fuerit nec decorum sibi, illorum hominum adiungi et quoquo modo suffragari consiliis ; quod etiam optato religionis incremento possit non minime obesse. — De his igitur rebus quae magni momenti sunt, exploratae prudentiae ac sollertiae tuae, dilecte fili Noster, valde confidimus: auspicemque divinorum munerum ac testem peculiaris Nostrae benevolentiae, Apostolicam tibi benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Novembris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE VIOLATIS JURIBUS APOST. SEDIS.

30 NOV. 1896.

QUAMQUAM commutatas in Urbe res, violatumque ius Apostolicae Sedis conquesti ad vos non semel ex hoc ipso loco sumus, nihilominus insidentes eaedem caussae monent, idem ut hodierna die conqueramur. Quod aperte facimus ac libere, ut liquido confirmetur, sanctum ius illud esse, quod memoravimus, neque ulla ex parte imminui, aut quoquo modo mutari vetustate posse.

Commutatas in Urbe res violatumque jus Ap. Sedis Pontifex iterum conqueritur,

Qualia incubuerint in pontificatum maximum tempora, plures iam annos est in oculis situm. Divino, quo fungimur, muneri nihil est de libertate debita restitutum, nihil de obiectis extrinsecus difficultatibus demptum. Gliscente audacia simul atque impunitate rerum malarum, quotidianum est iniurias nomini ac personae Nostrae, praesertim scribendo, imponere: neque acta solum, sed etiam cogitata, palam sine ulla verecundia, conniventibus in id qui minime deberent, calumniari.

exponitque crescentem in dies malorum audaciam, Ecclesiam et S. Sedem impugnantium,

Qua in re, quanta extiterit postremo hoc tempore pervicacia atque insolentia, nemo unus ignorat. Eiusmodi conditionem iam acerbam, cum iuris oppressione coniunctam, catholicis hominibus toto orbe gravem, intolerabiliorem efficit productio temporis. Idque ne ipsi quidem potest esse salutare reipublicae: nulla enim res magis continet civitates, quam iustitia: hac semel contempta, necessarium ac maximum imperiorum fundamentum collabitur. Utcumque sit, iura romani pontificatus repetere ac vindicare, quod officium Nostrum est, numquam intermissuri sumus, spe bona freti haud sane dilaturum Deum misericordem, quin diuturnis Ecclesiae suae laboribus finem benigne imponat.

magno quidem ipsius reipublicae detrimento.

Profitetur se sua jura semper vindicaturum, confisum Deo.

Adsciscere hodie in splendidissimum Ordinem vestrum lectos viros duos decrevimus. Hi sunt: RAPHAEL PIEROTTI,

Cardinales creantur.

sodalis Dominicanus, Magister sacri Palatii, Nobis quidem diu et doctrina et virtute probatus: IOSEPHVS PRISCO, sacerdos integer, studiorum philosophicorum, duce praesertim ac magistro Thoma Aquinate, clarus cultor.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Diaconos Cardinales

RAPHAELEM PIEROTTI
IOSEPHVM PRISCO

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

Ad Card. Richard Archiep. Parisiensem,

DE S. CLOTILDA COLENDA

IN FESTIS SAECULARIBUS CLODOVAEI.

1 DEC. 1896.

Approbat Pontifex ut S. Clotildae reginae proprii habeantur honores sub exitum Jubilaei quod ob Clodovei regis saecularia festa concessit. Confidit Parisienses patronae suae coelestis solemnia grato animo frequentaturos esse, indeque percepturos avitae religionis insigne studium

characteribus, liturgici concentus reformatio iure conficeretur. Opus tanti momenti illustres Petri Aloisii Praenestini discipuli, insigne eius magisterium et documenta secuti, typis Mediceis Romae excudendum, Pontificum voluntate, susceperunt. — Incoepta tamen huiusmodi experimenta et conatus non nisi aetati huic demum nostrae absolvere est concessum. Quum enim sa. me. Pius IX liturgici cantus unitatem feliciter inducere quam maxime in votis haberet, a Sacra Rituum Congregatione assignandam, eiusdemque ductu et auspiciis muniendam, peculiarem virorum Gregoriani cantus laude praestantium Commissionem in Urbe instituit; eiusque examini editionem subiecit, qua denuo in lucem evulgaretur Graduale Romanum, typis olim Mediceis impressum et Apostolicis Pauli V Litteris approbatum. Hanc dein editionem saluberrimo opere absolutam, parique studio et opportunis inductis emendationibus, ad normas a Commissione praescriptas, revisam, sibi valde probari haud semel ostendit, atque authenticam declarare non dubitavit suis Brevibus Litteris, die XXX Maii anno MDCCCLXXIII, datis, quarum illa est sententia: « *Hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendamus; eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris, quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua romana utitur Ecclesia.* » — Antecessoris sui approbationem decreto confirmare atque extendere e re esse duxit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Litteris enim Apostolicis, die XV novembris anno MDCCCLXXVIII, primae Antiphonarii partis, quae Horas diurnas complectitur, novam editionem, ab iisdem viris per Sacram Rituum Congregationem deputatis, egregie sane, ut decebat musicos eruditos, atque intelligenter revisam, peculiari commendatione est prosequutus, his sapienter ad Episcopos omnesque Musicae sacrae cultores verbis usus: « *Itaque memoratam editionem, a viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a SS. Rituum Congregatione deputatis, revisam, probamus*

Opus illius typis Mediceis imprimendum susceperunt ipsius discipuli.

Pius IX, cantus liturgici inducturus unitatem, illius Gradualis, a Paulo V approbati, novam editionem subjecit virorum peritorum examini, eamquerevisam ad normas praescriptas ab ipsis, authenticam declaravit.

Antecessoris sui approbationem confirmavit Pontifex initio sui Pontificatus.

atque authenticam declaramus, reverendissimis locorum Ordinariis ceterisque, quibus Musices Sacrae cura est, vehementer commendamus, id potissimum spectantes, ut sic cunctis in locis ac Dioecesibus, cum in ceteris, quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua romana utitur Ecclesia. »

Improbantur controversiae de cantu ecclesiastico postea exortae,

Verum, quemadmodum post Pontificium Pii IX Breve de Graduali, ad ipsam editionis approbationem in dubium vocandam, controversiae pluries subortae et obstacula sunt permota, ob quae Sacra Rituum Congregatio, die XIV Aprilis anno MDCCCLXXVII, sui muneris esse persensit editionem authenticam adserere, suoque suffragio penitus confirmare; haud aliter, post Apostolicas etiam Leonis XIII Litteras, quin finem contentionibus facerent, sibi adhuc integrum putaverunt nonnulli consilia et decreta negligere de instituto cantus ecclesiastici, constanti romanae Liturgiae ratione et usu comprobati. Immo, choricis Ecclesiae libris in lucem prolatis, totaque hac re ad exitum egregie perducta, largiores evasere disputationes; et, in conventu cultorum liturgici cantus anno MDCCCLXXXII Aretii habito, validius excitatae censurae eos moerore affecerunt, qui, in ecclesiastici concentus uniformitate, Apostolicae Sedi unice obtemperandum iure meritoque existimant. Quum autem qui Aretium hanc ob caussam contenderant, vota quaedam seu postulata de eadem re non tantum in populum prodiderint, verum etiam Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII formulis concinnata exhibuerint, Pontifex idem, negotii gravitate permotus, ut sacrorum concentuum, potissimum vero Gregoriani cantus, unitati et dignitati consuleret, vota illa seu postulata in examen adducenda assignavit peculiari coetui ab se delecto quorumdam Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum. Qui, omnibus mature perpensis, exquisitisque insignium quoque virorum sententiis, die X Aprilis anno MDCCCLXXXIII sine ulla dubitatione decernendum censuerunt: « *Vota seu postulata ab Aretino conventu, superiore anno, emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant recipi probarique non posse.*

praecipue in conventu Aretii habito.

Hujus conventus postulata Pontifex

probari non posse declaravit.

Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus ac reliquis sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae, iuxta Tridentinas sanctiones, a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII atque a Sacra Rituum Gongregatione, iuxta Editionem nuper adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate, inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum neque amplius disquirendum esse. »

7 IULII 1894.

Attamen postremis hisce annis, diversas ob caussas, pristinae difficultates iterum interponi, recentesque immo concertationes instaurari visae sunt, quae vel ipsam quum huius Editionis tum cantus in ea contenti genuinitatem aut infirmare aut penitus impetere aggrederentur. Neque etiam defuere qui ex desiderio, quo, Pius IX et Leo XIII, Pontifices maximi, ecclesiastici cantus uniformitatem summopere commendatam habuerunt, alios quoscumque cantus, in Ecclesiis peculiaribus iampridem adhibitos, omnino vetari inferrent. Ad haec dubia satius enucleanda, omnesque in posterum ambiguitates arcendas, Sanctitas Sua iudicium hac de re deferendum constituit Congregationi ordinariae omnium Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum, qui, in coetibus ad diem VII et XII Iunii nuper elapsi convocatis, resumptis omnibus ad rem pertinentibus, aliisque mox exhibitis mature perpensis, unanimi responderunt sententia : « *Servandas esse dispositiones sa. me. Pii IX in Brevi* « Qui choricis » *diei 30 Maii 1873; Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII in Brevi* « Sacrorum Concentuum » *diei 15 Novembris 1878; ac S. R. C. in Decreto diei 26 Aprilis 1883.* » — Quod autem ad libertatem attinet, qua Ecclesiae peculiares can-

Controversiis de Editione Romana instauratis postremis hisce annis,

S. R. Congregatio servanda decrevit quae antea statuta fuerant,

iterumque

editionis praefatae usum Ordinariis suasit, licet eam singulis Ecclesiis non imposuerit.

tum legitime invectum et adhuc adhibitum possint retinere, Sacra eadem Congregatio decretum illud iterandum atque inculcandum statuit, quo, in coetu die X Aprilis anno MDCCCLXXXIII habito, plurimum hortabatur omnes locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut Editionem praefatam in sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curarent, quamvis illam, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem, singulis Ecclesiis non imponeret.

Quod S. Congregationis Decretum Pontifex confirmavit.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum S. R. C. Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die VII Iulii anno MDCCCXCIV.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEFECTVS.

L. ✠ S.

ALOISIVS TRIPEPI S. R. C. Secretarius.

Regulae de musica sacra.

REGOLAMENTO
PER LA MUSICA SACRA

Pars I. *Regulae generales de musica adhibenda in functionibus ecclesiasticis.*

PARTE I.

Norme Generali
per la musica da usarsi nelle funzioni ecclesiastiche.

1° Omne opus musicum quod sacris ritibus verbisque congruat, pietatem moveat ac dignum domu Dei est.

ART. 1. — Ogni composizione musicale informata allo spirito della sacra funzione che accompagna, rispondendo religiosamente al significato del rito e delle parole, muove a devozione i fedeli, e quindi è degna della Casa di Dio.

2° Sic se habet can-

ART. 2. — Tale è il Canto Gregoriano, che la Chiesa riguarda come veramente suo, e quindi il solo che adotta nei libri liturgici da essa approvati.

ART. 3. — Il Canto Polifono eziandio, come anche il Canto Cromatico, purchè forniti delle suddette doti, possono convenire alle sacre funzioni.

ART. 4. — Nel genere polifonico viene riconosciuta degnissima della Casa di Dio la musica di Pierluigi da Palestrina e dei suoi buoni imitatori ; come, per la Musica Cromatica, si riconosce degna del culto divino quella che ci venne trasmessa fino ai nostri giorni da accreditati Maestri di varie Scuole italiane ed estere, e specialmente dai Maestri romani, le cui composizioni furono lodate più volte dalla competente Autorità siccome veramente sacre.

ART. 5. — Essendo ben noto che una composizione anche ottima di musica polifonica può divenire sconveniente per una cattiva esecuzione ; in tal caso si adoperi nelle funzioni strettamente liturgiche il Canto Gregoriano.

ART. 6. — La musica figurata da organo deve in genere rispondere all' indole legata, armonica e grave di questo strumento. L'accompagno istrumentale deve sostenere decorosamente il canto, e non opprimerlo. Nei preludii ed interludii così l'organo come gli strumenti conservino sempre il carattere sacro, corrispondente al sentimento della funzione.

ART. 7. — L'idioma da usarsi nei cantici durante le solenni funzioni strettamente liturgiche sia la lingua propria del rito, ed i testi *ad libitum* si prendano dalla Sacra Scrittura, dall' officiatura, o da inni e preci approvate dalla Chiesa.

ART. 8. — Nelle altre funzioni si potrà usare la lingua volgare, prendendo le parole da divote ed approvate composizioni.

ART. 9. — È severamente proibita in Chiesa ogni musica per canto, o per suono, d'indole profana, specialmente se ispirata a motivi, variazioni e reminiscenze teatrali.

ART. 10. — Per provvedere al rispetto dovuto alle parole liturgiche, ed escludere la prolissità della sacra funzione, è proibito ogni canto, nel quale le parole si trovino anche in

tus Gregorianus, ab Ecclesia ut suus, in libris liturgicis usurpatus.

3° Cantus etiam polyphonus et chromaticus possunt sacris convenire functionibus.

4° Musica Palestrinae aliorumque laudatur ut vere sacra.

5° Si nequeat cantus polyphonus ut decet cantari, Gregorianus adhibeatur,

6° Organa et alia instrumenta gravi melodia cantum sustineant, non obruant, modulationesque edant sacris functionibus congruas.

7° In functionibus stricte liturgicis adhibeatur ad cantum lingua ipsius ritus; textus ad libitum *sumantur ex S. Script., officiis, vel precibus ab Ecclesia approbatis.*

8° In aliis functionibus vernacula lingua uti possunt.

9° Musica profana prohibetur.

10° Non

licet in cantu verba omittere, contra sensum intervertere, vel indiscrete repetere,

minima parte omesse, o trasportate fuori di senso, o indiscretamente ripetute.

11° nec dividere omnino versus inter se necessario colligatos.

ART. 11. — È proibito il dividere in pezzi affatto staccati quei versetti, che sono necessariamente collegati fra loro.

12° Ne proferat qui pulsat organum, subitas modulationes, nisi valeat id digne perficere.

ART. 12. — È vietato l'improvvisare, detto *a fantasia*, sull' organo a chiunque nol sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole dell' arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei fedeli.

PARTE II.

Pars II. *Instructiones ad promovendum S. Musicae studium et evellendos abusus.*

Istruzioni per promuovere lo studio della Musica Sacra e per allontarne gli abusi.

1° Ordinarii multum curent musicam sacram, quum pars sit S. Liturgiae. Cantores laici ad ipsorum nutum admittuntur. Conventus de S. Musica non agantur sine auctoritatis ecclesiasticae expresso consensu. Folia periodica habeant approbationem Ordinarii. Hae Regulae in discrimen non veniant,

I. Essendo la Musica Sacra parte della Liturgia, si raccomanda ai Rmi Ordinarî di prenderne cura speciale, e di farne argomento di opportune prescrizioni, soprattutto nei Sinodi Diocesani e Provinciali, sempre però conformi al presente Regolamento. Il concorso dei laici è ammesso sotto la vigilanza e dipendenza dei rispettivi Ordinarî. Non si possono formar comitati, nè tenere congressi senza l'espresso consenso dell'Autorità ecclesiastica; la quale per la Diocesi è il Vescovo, per la Provincia il Metropolita coi suoi Suffraganei. I periodici di Musica Sacra non possono pubblicarsi senza l'*imprimatur* dell'Ordinario. È al tutto proibita qualsiasi discussione sugli articoli del presente Regolamento. Nelle altre materie poi risguardanti la Musica Sacra, essa è lecita, purchè 1° si osservino le leggi della carità; 2° nessuno si eriga a maestro e giudice altrui.

2° Addiscant clerici Greg.

II. I Rmi Ordinarî faranno esattamene adempire dai Chierici l'obbligo di studiare il canto fermo, quale specialmente si rinviene nei libri approvati dalla Santa Sede. Quanto poi agli altri generi di musica ed al suono dell'organo, non ne prescriveranno ai Chierici l'obbligo, per non distoglierli dagli studî più gravi, ai quali debbono attendere. Se però alcuni di essi siano già istruiti in tal genere di

studî, o ne mostrino particolare disposizione, potranno loro permettere di perfezionarsi nei medesimi.

7 IULII 1894.

III. Invigilino assai i medesimi Rmi Ordinarî sui Parrochi e Rettori di Chiese, affinchè non permettano esecuzioni musicali contrarie alle norme del presente Regolamento ; valendosi ancora secondo il loro arbitrio e prudenza, delle pene canoniche contro i disobbedienti.

IV. Colla pubblicazione del presente Regolamento, e sua comunicazione ai Rmi Ordinarî d'Italia, è abrogato qualsiasi atto precedente sullo stesso argomento.

La Santità di Nostro Signore LEONE PAPA XIII, in seguito di relazione fattale dal sottoscritto Cardinale Prefetto della Sacra Congregazione de' Riti, si è degnata confermare e sanzionare in ogni sua parte il precedente Regolamento, ordinandone la pubblicazione, il dì 6 Luglio 1894.

G. CARD. ALOISI-MASELLA, PREFETTO.

L. ✠ S.

LUIGI TRIPEPI, Segretario.

cantum, non alium, ne a studiis distrahantur.

Qui aliam musicam jam coluit, vel ad ipsam sit speciali dote praeditus, ei permitti potest ultra progredi,

3° Ordinarii curent ne ecclesiarum rectores his regulis derogent.

4° Abrogantur regulae hac de re antea datae.

INSTRUCTIO

Ad Ordinarios ac Superiores regulares Italiae,

DE SACRA PRAEDICATIONE.

31 IULII 1894.

Dolens Pontifex graves quosdam abusus in divini verbi praedicationem irrepsisse, Congregationem jussit de praedicandi verbi divini ministerio regulas dare, quibus omnino abusus illi tollantur.

LA Santità di Nostro Signore Papa Leone XIII, a cui tanto sta a cuore l'apostolico ministero della predicazione, come quello che è sì necessario, massime in questi tempi, alla retta istituzione del popolo cristiano, non senza grande dolore dell' animo suo è venuta a sapere, che nella maniera di annunziare la divina parola si sono da qualche tempo introdotti alcuni gravi abusi, che rendono spesso l'odierna predicazione o dispregevole, o almeno sterile e infruttuosa. Per la qual cosa, seguendo le orme de' suoi predecessori (1), ha ordinato a questa S. Congregazione dei Vescovi e Regolari di rivolgersi agli Ordinarî d'Italia e ai Superiori Generali degli Ordini Regolari, per eccitarne vivamente la vigilanza e lo zelo a porre, quanto è da loro, un riparo a questi disordini, e procurare che si tolgano onninamente di mezzo. Obbedendo pertanto agli augusti comandi del Santo Padre, questa S. Congregazione mette sotto gli occhi dei Revmi Ordinarî e Capi d'Ordini Regolari e pii Istituti ecclesiastici le seguenti norme, affinchè con ogni diligenza e premura ne curino l'osservanza.

Dotes exponuntur in verbi divini ministro requisitae: sint in ipso pietas et amor Jesu, per quae in Dei gloriam et salutem animarum ardescat; non tantum

1. E primamente, per ciò che appartiene alle qualità del sacro predicatore, avvertano di non mai affidare un ministero sì santo a chi non sia fornito di vera pietà cristiana e compreso di grande amore a N. S. GESU CRISTO, senza del quale non sarebbe mai altro che *aes sonans aut cymbalum tinniens* (2): nè mai potrebbe avere quel vero zelo della gloria di Dio e della salute delle anime, che deve essere il solo movente e il solo fine dell'evangelica predicazione. E questa pietà cristia-

1. Fra gli altri, Clemente X, Innocenzo XI, Innocenzo XII, Benedetto XIII, ora con atti pontificî, ora per mezzo della S. Congregazione del Concilio o di quella dei Vescovi e Regolari, emanarono, secondo il bisogno dei tempi, sapienti prescrizioni intorno alla sacra predicazione. — 2. *I Cor.*, XIII, 1.

na,si necessaria ai sacri banditori,uopo è che risplenda anche nella loro condotta esteriore, la quale non deve mai trovarsi in contraddizione coi loro insegnamenti, nè aver nulla di secolaresco e di mondano, ma sempre esser tale che li mostri veramente *ministros Christi,et dispensatores mysteriorum Dei* (1); altrimenti, come osserva l'angelico S. Tommaso *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei* (2). Colla pietà poi e colla virtù cristiana vuole andare congiunta anche la scienza, essendo manifesto e dalla esperienza continua comprovato, che una predicazione veramente soda, ordinata e fruttuosa, vano è aspettarla da coloro, che non sono nutriti di buoni studî, principalmente sacri, e che fidenti in certa lor naturale loquacità, temerariamente salgono il pulpito con poca o nessuna preparazione. Costoro, per ordinario, non fanno altro che batter l'aria, e alla divina parola, senza avvedersene, accattare dispregio e derisione; quindi loro va detto recisamente: *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi* (3).

verbo sed et exemplo praedicet;

sit scientia praeditus, nec fidat suae dicendi peritiae, sed rite per studium paratus cathedram ascendat.

2. Dopo dunque, e non prima, che il sacerdote si sarà procacciato il corredo delle accennate doti, allora soltanto i reverendissimi Vescovi e Capi degli Ordini Regolari gli potranno affidare il gran ministero della divina parola; invigilando però che fedelmente si attenga a quelle materie, che sono veramente proprie della sacra predicazione. Or tali materie sono indicate dal divin Redentore là dove dice: *Praedicate evangelium* (4)... *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (5). Conformemente alle quali parole scrisse l'Angelico: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando,modo exhortando,hominibus praedicare* (6). E il sacrosanto Concilio di Trento: *Annunciantes eis, vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (7). Ma più ampiamente ancora fu ciò spiegato dal Sommo Pontefice Pio IX di s. m. colle seguenti parole. « Non semetipsos,

Invigilandum ne res tractentur a sacra praedicatione alienae.

Indicatur praedicationis materia per verba Domini, ab Angelico doctore,

Concilio Trid.,

et Pio IX illustrata,

1. *I Cor.*, IV, 1. — 2. *Comment. in Matt.*, V. — 3. *Os.*, IV, 6. — 4. *Marc.*, XVI, 15. — 5. *Matth.* XXVIII, 20. — 6. *Loco cit.* — 7. Sess. V, c. 2 *de Reform.*

« sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissima reli-
« gionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae
« Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido ora-
« tionis genere, populo clare aperteque annuncient; pecu-
« liaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a
« flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles,
« Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes
« sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem
« gloriam consequi valeant (1). » Donde chiaramente appa-
risce che il simbolo e il decalogo, i precetti della Chiesa e i
Sacramenti, le virtù ed i vizî, i doveri propri delle diverse
classi di persone, i novissimi dell' uomo ed altre simili
verita eterne debbono formare la materia ordinaria della
sacra predicazione.

indeque patet quae sint in sacra praedicatione tractanda.

3. Ma questi gravissimi argomenti sono oggi indegna-
mente trascurati da molti predicatori, i quali, *quaerentes quae sua sunt, non quae* IESU CHRISTI (2), e ben conoscendo
non esser queste le materie più acconce ad acquistar loro
quell' aura popolare, che ambiscono, le lasciano interamente
da parte, massime nelle quaresime e in altre occasioni
solenni; e insieme colle cose mutando i nomi, alle antiche
prediche sostituiscono un genere mal inteso di *conferenze*,
rivolte ad adescare la mente e la fantasia, non mai a muovere
la volontà e a riformare i costumi. E non riflettono costoro
che le prediche morali giovano a tutti, le conferenze d'ordi-
nario sono per pochi; e che questi pochi medesimi, se fossero
meglio curati nei costumi, cioè meglio aiutati ad essere più
casti, più umili, più obbedienti all' autorità della Chiesa, con
ciò solo avrebbero la mente sgombrata da mille pregiudizî
contro la fede, e più disposta a ricevere la luce della verità;
perchè gli errori religiosi, massime tra i popoli cattolici,
hanno generalmente radice più nelle passioni del cuore, che
nelle aberrazioni della mente, secondo quello che è scritto:
De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae (3). Perciò
su quel del Salmista: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (4), saviamente riflette S. Agostino: *In corde suo, non in mente sua.*

Dolendum multos quae sua sunt, non quae Jesu Christi, saepius quaerere per praedicationem; qui solita praedicatione omissa, conferentias tradunt quae mentem, non voluntatem spectant, phantasiamque movent, at mores non corrigunt: quibus quidem longe utiliores sunt sermonem rem moralem tractantes, quum Christiani saepius corde quam mente labantur.

1. Litt. enc. 9 Nov. 1846. — 2. *Philip.*, II, 21. — 3. *Matth.*, XV, 19. — 4. *Ps.* XIII, 1.

4. Nè già con questo vuol condannarsi in modo assoluto l'uso delle conferenze, le quali anzi, quando siano ben condotte, possono anch'esse in certi casi tornare utilissime e necessarie, in mezzo a tanti errori che spargonsi contro la religione. Ma ben si vogliono onninamente sbandire dal pulpito quelle pompose dicerie, che trattano argomenti più speculativi che pratici, più civili che religiosi, più di comparsa che di frutto, i quali perciò saranno forse adattati alla palestra giornalistica e alle aule accademiche, ma col luogo santo certamente non si confanno. Quanto poi a quelle conferenze, che mirano a difendere la religione dalle impugnazioni de' suoi nemici, sono bensì a quando a quando necessarie, ma questo no è peso da tutti gli omeri, sì veramente dai più robusti. Ed anche i valorosi oratori debbono usare in ciò grande cautela ; chè tali apologie convien farle soltanto in quei luoghi, in quei tempi e a quelle udienze, che ne abbiano un vero bisogno,e da cui possa sperarsene un vero profitto ; dalla qual cosa i giudici più competenti è manifesto non essere che gli Ordinarî : convien farle in maniera che la dimostrazione abbia la sua base profonda nella dottrina sacra assai più che negli argomenti umani e naturali : convien farle con tale solidità e chiarezza, da evitare il pericolo che in certe menti restino impressi più gli errori che le verità opposte ; e più facciano breccia le obbiezioni che le risposte. Soprattutto poi è da por mente che l'uso soverchio delle conferenze non faccia cadere in disistima e in disuso le prediche morali, come se queste fossero cose di secondo ordine e di minore importanza che le polemiche, e però da lasciarsi al volgo dei predicatori e degli uditori ; mentre il vero si è che la predicazione morale è la più necessaria alla università dei fedeli, non è meno nobile della polemica, e quindi anche i più valenti e celebrati oratori, e dinanzi a qualsivoglia più eletta e numerosa udienza, dovrebbero, almeno di quando in quando, trattarla con vivo zelo. Se ciò non facciasi, queste grandi udienze saranno condannate a sentirsi sempre parlare d'errori che spesso non sono nei più dei membri che le compongono, e non mai de' vizî e delle colpe, che in siffatte adu-

31 IULII 1894.

Nequaquam tamen reprobatur omne conferentiarum genus : sunt enim ipsae, si debitae adsint qualitates, utiles ac necessariae, tot grassantibus erroribus de Fide.

Sint qui conferentias tradunt, viri eximii, Episcoporumque ductu in erroribus impugnandis firmissimi.

Nullum afferant conferentiae detrimentum sermonibus moralibus, quippe qui fidelium multitudini magis quam sermones polemici prosunt, nec minori laude digni habendi sunt, nec proinde vel a clarissimis oratoribus sunt omittendi.

Jam forma reprehenditur in praedicando usurpata.

nanze sogliono abbondare, più che in altre di minor conto.

Praedicandi normam definit S. Thomas.

5. Ma se molti abusi si notano nella scelta dei temi, altri non meno gravi sono a deplorarsi nella forma della trattazione. Intorno alla quale insegna egregiamente l'Aquinate che, per essere veramente *lux mundi,tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas,ut non deviet a veritate; secundum est claritas,ut non doceat cum obscuritate; tertium est utilitas,ut quaerat Dei laudem et non suam* (1).Ma per

Carent saepius nostra aetate sermones perspicuitate et simplicitate evangelica, nec a populo intelliguntur; pietate carent et S. Spiritus unctione;

mala ventura la forma di molti odierni sermoni, non solo è lontana da quella chiarezza e semplicità evangelica che dovrebbe caratterizzarla, ma tutta si avvolge in ambagi nebulose e in materie astruse superiori alla comune capacità del popolo, e fa tornare sul labbro quel pietoso lamento: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Il peggio si è poi che vi manca spesso qualla sacra impronta, quell'alito di pietà cristiana e quella unzione dello Spirito Santo, per la quale il banditore evangelico dovrebbe sempre poter dire di sè: *Sermo meus et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostentione spiritus et virtutis* (3). Costoro invece fondandosi quasi unicamente *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, poco o nulla si curano della *parola divina*, della Sacra Scrittura, che pure dev' essere il primo fonte della sacra eloquenza, come insegnava testè il Sommo Pontefice felicemente regnante, con parole gravissime che crediamo opportuno di riferire.

Humanae sapientiae verbis referti sunt, at vacui S. Scriptura, quae quidem eloquentiae sacrae fons praecipuus existit. Quae de re citantur Leonis XIII verba ex Litteris encycl. de studiis Scripturae Sacrae.

« Haec propria et singularis Scripturarum virtus; a divino « afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro « auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi liber- « tatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quis- « quis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, « ille *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in « Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (4). Quamobrem ii « dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita « conciones de religione habent, et praecepta divina enun- « ciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et pru- « dentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. « Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem lumi-

1. *Loco cit.* — 2. *Thren.* IV, 4. — 3. *I Cor.*, II, 4. — 4. *I Thess.*, I, 5.

« nibus, languescere e frigere necesse est, utpote quae igne « careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua « divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo Dei et « efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens « usque ad divisionem animae ac spiritus* (1). Quamquam hoc « etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris « Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus « eloquentiam : id quod Augustinus pervidit diserteque « arguit (2), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in « oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum « consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, « grati Deo, affirmarunt (3). »

31 IULII 1894.

6. Ecco dunque la fonte principalissima della sacra eloquenza,la Bibbia.Ma questi predicatori ammodernati,in cambio di attingere la loro eloquenza al *fonte dell' acqua viva*, con intollerabile abuso si volgono alle *cisterne dissipate* della *sapienza umana:* invece di recare in mezzo i testi divinamente ispirati,o quelli dei Sancti Padri e dei Concilî citano a sazietà autori profani,autori moderni ed anche viventi,autori e parole che si prestano ben sovente ad interpretazioni molto equivoche e molto pericolose. « È anche un grande abuso della « eloquenza sacra trattare i temi religiosi unicamente « nell'interesse di questa vita, e non parlare della futura : « noverare i vantaggi recati alla società dalla religione « cristiana, e dissimulare i doveri : dipingere il Redentore « divino tutta carità, e tacere della giustizia. Indi il poco « frutto di cotesta predicazione, dalla quale un uomo di « mondo esce persuaso che, senza mutare i suoi costumi, pur« chè dica : Io credo in GESU CRISTO, sarà un buon cri« stiano (4). » Ma che importa a costoro del frutto? Non è questo che cercano principalmente : cercano di lusingare gli uditori *prurientes auribus* (5), e pur che veggano le chiese piene, punto non curano che le anime si rimangano vuote. Per questo non parlano mai del peccato, mai de' novissimi ; mai di altre verità gravissime che potrebbero constristare a

Scriptura, Ss. Patribus, Conciliisque neglectis, depromunt illi praedicatores ex fontibus profanis sententias sinistrae interpretationi obnoxias.

Arguit Card. Bausa praedicatores ea omittentes quae vitam futuram, officia nostra, Redemptoris, justitiam spectant.

Tales quidem placere auditoribus, non prodesse cupiunt :

1. *Hebr.* IV, 12. — 2. *De Doctr. christ.*, IV, 6, 7. — 3. Litt. enc. de studiis Script. Sacr. 18 Nov. 1893. — 4. Card. Bausa, Arciv. di Firenze, al suo giovine Clero, 1892. — 5. *II Tim.*, IV, 3.

salute, ma parlano solo *verba placentia* (1); e questo pure lo fanno con una eloquenza più tribunizia che apostolica, più profana che sacra, la quale attira loro battimani ed applausi, già condannati da S. Girolamo, quando scriveva: *Docente in ecclesia te non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrymae laudes tuae sint* (2). Di qui è che tutta la loro predicazione apparisce come circondata, tanto in chiesa quanto fuori di essa, da una certa aura teatrale, che ogni sacra impronta ne toglie ed ogni sovrumana efficacia. Di qui ancora nel popolo,e diciamo pur anche in una parte del clero, la depravazione del gusto della divina parola, lo scandalo di tutti i buoni, e il poco o niun profitto dei traviati o miscredenti; i quali, benchè talvolta accorrano in calca ad ascoltare simili *verba placentia*, massimamente se attirativi dalle risonanti parole di *progresso*, di *patria*, di *scienza moderna*, dopo applaudito clamorosamente all'oratore *che conosce il vero modo di predicare*, escono di chiesa quali vi erano entrati: *mirabantur, sed non convertebantur* (3).

qui fucosa eloquentia gustum depravant verbi divini, bonisque sunt scandalo, nec prosunt incredulis qui quidem mirantur pulchre dicta, sed moribus non emendantur.

7. Volendo pertanto questa S. Congregazione, in adempimento dei venerati comandi di Sua Santità, porre un riparo a tanti e sì detestabili abusi, si rivolge a tutti i reverendissimi Vescovi e Superiori Generali degli Ordini Regolari e pii Istituti ecclesiastici, affinchè contro di quelli insorgano con apostolica fermezza e con ogni sforzo ne curino l'estirpazione. Ricordevoli dunque che, secondo la prescrizione del sacrosanto Tridentino Concilio, *viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur* (4) usino in questo negozio la massima diligenza e cautela. Se si tratta di sacerdoti della loro diocesi, sieno fermi nel non affidar loro un ministero sì augusto senza averli provati, o per via d'esame o in altra maniera opportuna; *nisi prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* (5). Se si tratta di sacerdoti d'altre diocesi, non accettino nessuno a predicare nella loro, massime nelle occasioni più solenni, se non presenti lettere del proprio Vescovo o del proprio Superiore Regolare, le quali diano dei suoi costu-

S. Congregatio, Pontificis jussa exequens, vult ab Episcopis et Superioribus regularibus illos abusus evelli.

Praedicandi munere augeantur viri idonei,

Superiorum examine probati.

Si ex aliena sint dioecesi, afferant testimonium Superiorum.

1. *Is.* XXX, 10. — 2. Ad Nepotian. — 3. Ex Aug. in Matth. XIX, 25. — 4. Sess. V, cap. 2, *De reform.* — 5. *Loco cit.*

mi e della sua idoneità a tale uffizio buona testimonianza. I Superiori poi dei Religiosi di qualsivoglia Ordine, Società o Congregazione, a nessuno dei loro sudditi permettano di predicare, et molto meno lo presentino agli Ordinarî con proprie lettere testimoniali, se prima non si sono assicurati assai bene e della sua morale condotta e della sua retta maniera di annunziare la divina parola. Che se gli Ordinarî, dopo accettato qualche predicatore per le buone commendatizie che presentava, lo vedessero poi nell'esercizio pratico del ministero deviare dalle norme e dai moniti dati in questa Lettera, dessi con opportuna correzione lo richiamino prontamente al dovere ; ma se questa non basta, lo rimuovano a dirittura da tale uffizio, usando anche le pene canoniche, se la natura del caso lo richiedesse.

31 IULII 1894. Superiores Regulares nonnisi idoneos praedicatores constituant vel Episcopis commendent : hos Ordinarius a recta praedicandi norma deficientes corrigat, perseverantesque in errore amoveat ab officio ac puniat.

Nel rimanente, siccome questa S. Congregazione sa di poter fare sulla diligenza e sullo zelo dei reverendissimi Ordinarî e Capi d'Ordini Religiosi sicuro, assegnamento ; così confida che, principalmente per opera loro, si vedrà presto riformata questa moderna maniera di annunziare o piuttosto di adulterare la divina parola, e che, tolti via finalmente dalla sacra predicazione i lenocinî mondani, le sarà restituita la sua nativa maestà veneranda e con essa la sua sovrumana efficacia, a gloria di Dio, a salute delle anime, a vantaggio universale della Chiesa e del mondo.

Confidit S. Congregatio Episcopos et Superiores Regulares strenue nisuros ut verbi divini praedicatio pristinae restituatur dignitati.

Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione de'Vescovi e Regolari, li 31 Luglio 1894.

ISIDORO CARDINAL VERGA, *Prefetto.*

LUIGI TROMBETTA, *Pro-Segretario.*

DECRETUM

Ad Ordinarios Brasiliae.

DE RATIONE CLERI

CUM AUCTORITATE CIVILI.

16 AUG. 1894.

Quum nuper in Brasilia lex civilis coetibus ecclesiasticis facultates tribuerit haud consonas sacris canonibus,

QUAMVIS civilis auctoritas in Brasilia nuper legem ediderit, qua iuridicam personam ac peculiaria iura consociationibus id postulantibus se attributuram spondeat, Religiosae tamen familiae, Capitula, Sodalitates, aliique cuiuscumque generis ecclesiastici coetus facultate per eam legem concessa arbitrio suo uti, prout est in aperto, ex germana eorum natura prohibentur. Cum enim eiusmodi instituta sui iuris non sint, sed ab Ecclesia vitam normamque teneant, iis debent absolute subesse, qui eidem regendae ex divina institutione praepositi sunt, ab eorumque auctoritate in re tanti momenti pendere. Cumque insuper memorata civilis lex plura indulgeat, quae cooptatis in ecclesiasticos coetus iuxta sacros canones non licerent, eorum arbitrio permitti nullatenus possunt, quae in eorumdem coetuum perniciem ac religionis detrimentum converterentur.

statuit Ss. Dominus ad abusus praecavendos nonnulla per S. Congregationem mandari

Quare Ssmus Dominus Noster Leo PP. XIII, pro ea quam gerit omnium ecclesiarum sollicitudine, ad abusus quoslibet et pericula praecavenda per Sacram Congregationem Concilii ea quae sequuntur declarari ac mandari decrevit.

1° de licentia Ordinarii requisita ad assequendam personam juridicam;

I. Nulli ex superius memoratis aliisque coetibus, qui ab ecclesiastica auctoritate utcumque dependent, fas erit absque praevia et expressa Ordinarii licentia quidquam agere ad recognitionem et personam iuridicam assequendam : si quis contra huiusmodi praeceptum fecerit, statim Ordinarius eiusmodi actus iniustos esse, irritos nulliusque valoris auctoritati civili protestando denunciet.

2° de

II. Qui vero clam et mala fide hac in re aliquid gesserint,

illos Ordinarius congruis poenis ecclesiasticis mulctare debebit.

16 AUG. 1894.

III. Quod si in aliquo casu speciali ad tutius prospiciendum iuribus atque utilitati Ecclesiae, Ordinarius censeat expedire, ut praefata venia alicui coetui aut ordini concedatur, ea qua par est prudentia et cautela omnia peragat, in id apprime incumbens, ut nihil, quod minus proprium sit aut videri possit, petitio contineat : et conservationi bonorum ad eumdem coetum vel ordinem pertinentium opportune et efficaciter consulatur: si vero agatur de coetu vel ordine exempto, ipse Ordinarius Sanctam Sedem, aut, urgente necessitate, Internuntium Apostolicum, ad facultates necessarias impetrandas adibit.

poenis statuendis in eum qui hac in re mala fide gesserit.

3° De cautela adhibenda ubi ab Ordinario data fuerit coetui ecclesiastico venia personae juridicae assequendae.

Quae omnia Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi singulis Brasilianae ditionis Ordinariis hisce circularibus litteris nota facit, eaque ab omnibus, quos hoc decretum respicit, inviolate custodiri et servari iubet, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. Congreg. Concilii, die XVI Augusti MDCCCXCIV.

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

L. SALVATI, *Secretarius.*

INSTRUCTIO

Ad Delegatum apostolicum in foederatis Americae civitatibus, DE QUIBUSDAM SOCIETATIBUS VITANDIS.

20 Aug. 1894.

Archiepiscopi Americae quum judicio Sedis Apostolicae causam detulerint quarumdam societatum, S. Congregatio Inquisitionis has societates decrevit esse vitandas sub poena privationis a sacramentorum perceptione.

AMPLITUDINEM tuam profecto non latet, reverendissimos Archiepiscopos in ecclesiasticis provinciis istius foederatae Reipublicae constitutos, in suis conventibus egisse de tribus, quae istic coaluerunt, societatibus, Sociorum nempe singularium (Odd Fellows), Filiorum Temperantiae (Sons of Temperance) et Equitum Pythiae (Knights of Pythia), atque unanimi consensu rem totam iudicio Sedis Apostolicae detulisse. Porro Sanctissimus Dominus Noster quaestionem examinandam tradidit Eminentissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus una mecum Generalibus Inquisitoribus. Hi vero generali Congregatione fer. IV die XX Iunii MDCCCXCIV, confirmantes iudicium de aliquibus ipsismet societatibus alias latum, decreverunt: « Cunctis per istas regiones Ordinariis esse omnino connitendum ut fideles a tribus societatibus praedictis et ab unaquaque earum arceantur, eaque de re ipsos fideles esse monendos; et si monitione insuper habita velint adhuc eisdem Societatibus adhaerere nec ab illis cum effectu separari, a perceptione Sacramentorum esse arcendos. »

Quod decretum Pontifex confirmavit.

Sanctissimus Dominus Noster sententiam hanc plene confirmavit et ratam habuit. Quae, idcirco, per praesentes Amplitudini tuae significatur, ut per te nota fiat cunctis istarum regionum Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, et pro bono animarum regimine ad effectum deducatur. — Interim fausta quaeque tibi a Domino adprecor.

Amplitudinis tuae

Die XX Augusti MDCCCXCIV.

Addictissimus famulus
R. CARD. MONACO.

DECRETUM

DE MODERANDA CERTIS DIEBUS CERTISQUE DE CAUSIS ABSTINENTIAE ET JEJUNII LEGE.

CUM recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium una mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de caussis posse servari, et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S.E. R.Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio feriae IV die V Decembris MDCCCXCIV, re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet:

5 DEC. 1894.

Complurium Episcoporum precibus annuens S. Congregatio

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi, die sibi benevisa, atque ob gravissimas caussas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum, item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore Quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eâdem anticipandi, seu etiam gravissimis de caussis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

rogavit Sanctissimum Dominum facultatem pro Episcopis moderandi certis diebus certisque de caussis legem abstinentiae et jejunii.

Habita autem per R. P. D. Adsessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, idem Sanctissimus Dominus praesens Decretum ratum habuit et confirmavit, ac omnibus et singulis locorum Ordinariis

Quod quidem concessit Pontifex.

facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione Apostolicae dispensationis.

Feria IV, die V Decembris MDCCCXCIV.

IOS. MANCINI S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

DECRETUM

DE COMMORATIONE IN URBE CLERICORUM ALIENAE DIOECESIS.

22 DEC. 1894.

ANTEACTIS temporibus non defuerunt apud Apostolicam Sedem Episcoporum querelae de clericis, qui suam deserentes dioecesim, ad Urbem citra necessitatem et iustam caussam pro lubitu demigrabant : et in singulis casibus, prout ferebat occasio, provisum tunc fuit. At nostra aetate hic abusus invalescere et eo gravior fieri visus est quo magis in pluribus dioecesibus sacerdotum imminutus est numerus : et idcirco ab Ordinariis non semel postulationes exhibitae sunt, ut eidem prospiceretur. Profecto tum ex veteri Ecclesiae disciplina, tum praesertim ex praescriptionibus S. Concilii Tridentini *cap. 2 sess. 21, et cap. 16 sess. 23, De reform.* ac subsequentibus Sacrae Congregationis resolutionibus, liquet non deesse Episcopis iuris remedia quibus hanc clericorum licentiam coerceant. Ob suarum enim ecclesiarum necessitatem Ordinariis perspicue ius est interdicendi, ne sacerdotes, quamvis ad patrimonii titulum ordinati, propriam dioecesim deserant, eosque revocandi, quamvis alibi, et adeo etiam in Urbe, per Apostolicas litteras residentiale beneficium assequutos, si citra Ordinarii beneplacitum discesserint, eisque praebeatur unde honeste in sua dioecesi vivere possint. Hoc constanti disciplina retinuit Sacra Congregatio, uti inter alia luculenter patet ex resolutione in caussa *Reatina* diei XXVI Ianuarii MDCCCXXXIII.

Licet per sacros canones provisum jam sit ne clerici suam deserant Dioecesim invito Episcopo,

Quapropter, praedictis Episcoporum postulationibus Sacrae Congregationis iudicio nuperrime subiectis, Eminentissimi Patres responderunt, satis provisum per superius memoratas sacrorum canonum dispositiones.

Nihilominus cum plures Episcopi, praesertim e proximis Urbi regionibus, etiam in unum collecti, postulationibus alias oblatis institerint, et impense a Summo

Pontifex tamen Episcoporum precibus

annuens, ut illa clericorum licentia efficacius coerceatur, nonnulla per S. Congregationem statuit

Pontifice efflagitaverint, ut aliquid hac in re peculiariter decerneretur, quo efficacius huic ecclesiasticae disciplinae perturbationi occurri posset. Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, omnibus mature perpensis, et iuxta ea quae alias per Eminentissimum Urbis Vicarium edi iusserat, haec, quae sequuntur, per Sacram Concilii Gongregationem praescripsit ac statuit:

1° de iis qui in posterum volunt Romae statuere domicilium;

I. Clerici et sacerdotes saeculares alienae dioecesis, aut etiam regulares extra claustra degentes, nequibunt in posterum stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis, per officium Sacrae Congregationis Concilii impetranda.

2° de iis qui in praesens Romae degunt;

II. Qui vero in praesens Romae degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum adstricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum Episcoporum licentiam domicilium Romae acquisierint, post mensem a die huius decreti elapsum ad suam dioecesim redire debebunt.

3° de conferendis officiis quae residentiam in Urbe requirant;

III. Nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi, praeter testimoniales commendatitias sui Episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi; itemque nemini beneficium conferetur, si assensum Ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4° de reditu in propriam dioecesim ob exstinctam absentiae causam;

IV. Qui ad litterarum scientiarumque studiis operam dandam, vel ad honesta negotia peragenda, vel ex alia iusta caussa in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria huiusmodi caussa cessaverit, vel a proprio Episcopo revocentur, ad propriam dioecesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac praesertim, ob peculiarem dioecesium his temporibus conditionem, nullatenus eisdem suffragante exceptione sive ex susceptis studiis, sive ex praetensa tenuitate sustentationis ab Episcopo oblatae desumpta: quod si, durante hac eorum commoratione

in Urbe, sese, uti decet, non gesserint, per Vicariatum Urbis propriis Ordinariis denunciabuntur, et ab Urbe discedere cogentur. *22 DEC. 1894.*

V. Quicumque denique, quolibet modo, praesentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto suspensioni a divinis obnoxius fiet. *5° de iis qui his statutis non obedierint.*

Ceterum Episcopi omnium clericorum suorum aeque curam gerant, neque, uti saepe dolendum, e sua dioecesi eos abire facile sinant qui seu vitae ratione, seu aliis quibuscumque caussis, sese reprehensione dignos aut molestos exhibeant. *Suadetur Episcopis omnium suorum clericorum aequa sollicitudo.*

Haec itaque omnia Sanctitas Sua ab omnibus ad quos spectat, custodiri et inviolabiliter servari mandavit, contrariis quibuscumque, etiam peculiari mentione dignis, minime obstantibus.

Romae, ex aedibus S. C. Concilii die XXII Decembris MDCCCXCIV.

A. CARD. DI PIETRO, PRAEFECTVS.

L. SALVATI, *Secretarius.*

DECRETUM

QUO PSEUDOCOMMUNITAS LOIGNIENSIS EIUSQUE ANNALES ITERUM DAMNANTUR ET PROSCRIBUNTUR.

15 APRILIS 1896.

Memorantur pseudocommunitatis Loigniensis fraudes,

Datis jam ad universos populos litteris de unitate catholica, proprias tamen ad Anglos dari vult Pontifex 36. — Omnes in Anglia Christiani assidue Deum orent pro Fidei unitate 36. — Gregorius Magnus de gente Anglorum optime meritus est, nec minus illorum providerum: utilitatibus successores Gregorii : unde orta est arctissima nobilis gentis cum Petri Cathedra conjunctio 36-37-38. — Triste dissidium saeculo XVI natum Romani Pontifices omni cura adhibita precibusque indictis restinguere studuerunt 38. — Plures viri sancti sese totos in Angliae salutem impenderunt, nominatim Carolus Borromaeus, Philippus Nerius, et Paulus a Cruce 38-39. — Praeclara laude Pontifex exornat Societatem ab Ignatio Spencer conditam, quae quidem uberes jam protulit fructus 39. — Fiduciam salutis Angliae adjuvant tum ipsa humana civilisque rerum apud Anglos temperatio, tum adversus Rationalismum et Materialismum asserta Dei et Christi jura, necnon varia beneficentiae opera, dierum sacrorum religio, S. Scripturae reverentia, humanitatis in longinquas gentes diffusio 39-40-41. — Illa tamen ad salutem privatam aut publicam non conducent sine Dei auxilio, quod quidem orantibus datur 41. — Vim orationis sive ad temporalia sive ad aeterna bona impetranda Pontifex inculcat allatis verbis Christi omnia bona promittentis eis qui Ipsius nomine exoraverint Patrem munificentissimum 41-42. — Non verbis Christi tantum, sed et ejus exemplo oratio commendatur 42. — Orationis praeceptum et exemplum praecipue continentur sermone post Coenam habito, in quo Christus ut sui unum essent Patrem rogavit 42-43. — In hanc unitatem perficiendam Pontifex omnes curas impendit, spe gaudens se vita functum uberes sui laboris fructus Deo allaturum esse 43. —

Laete recolit indicia divinae gratiae Anglos ad unitatem catholicam moventis, atque charitatis suae sensum Apostoli verbis testatur 43. — Omnes in Anglia dissidentes preces ad Deum fundant, ut doctrinae Christi veritatem perspicere coelesti lumine valeant 43-44. — Adeo inveteratum dissidium ut possint ipsi restinguere Dominus providebit, modo sincero et bono animo rem aggrediantur 44. — In memoriam reducit Pontifex tredecim abhinc saeculis susceptam fuisse in Anglia catholicam Fidem, Anglosque adhortatur ut eamdem iterum amplectantur 44-45. — Catholicos vero sperat oraturos fraterna charitate pro dissidentibus 45. — Singularem vim talis orationis ostendit, et antiquam memorat Christianorum consuetudinem pro aliis dona Dei, praecipue Fidem, rogandi 45. — Orationes expostulat et pro iis qui Deum ignorant, licet sint catholico nomine ornati 45. — Fideles adhortatur ut virtutibus et bonis operibus sese dedant quibus efficacior eorum fiat oratio 45-46. — Implorat Sanctos Angliae patronos, et ante omnes sanctissimam Genitricem Dei 46. — Precum officia ad Fidei unitatem obtinendam jam instituta, inprimisque Rosarii usum commendat 46. — Indulgentias tribuit lucrandas 46-47. — Christi obsecrationem de unitate iterat, faustaque Britannorum genti adprecatur 47. — Ad S^mam^ Virginem pro Angelis fratribus precatio 47-48.

12. EPISTOLA ad D. Gherardum van Caloen, de ordine S. Benedicti instaurando in Brasilia. — 24 Aprilis 1895. ... ... pag. 49

Gaudet Pontifex D. Gherardum van Caloen, Ordinem S. Benedicti instauraturum in Brasilia, benigne ibi receptum fuisse 49. — Cujus stimulat animum ut in coepto pergat opere, opitulante gente Belgica per pecuniam et viros laboris socios. Benedicit 49-50.

13. EPISTOLA ap Card. Neto, Patriarcham Ulissiponensem, de Centenariis solemnibus S. Antonii. — 2 Maii 1895. ... ... pag. 51

Laudibus ornat Pontifex S. Antonium 51. — Jure ipsi praeparantur centenaria solemnia, multum quidem rei religiosae, ideoque et civili profutura 51. — Probat coetum catholicorum ex nationibus universis Ulissiponem cogi 51-52. — Prospera Lusitaniae, D. Antonio auspice, ominatur, et benedicit 52.

14. LITTERAE APOSTOLICAE quibus approbantur regulae Oblatarum sacri Cordis Jesu. — 4 Maii 1895. pag. 53

Sodalitates mulierum gloriae Dei inservientium ac proximorum saluti egregie laudat Pontifex 53. — Inter illas adsciscenda est Congregatio Oblatarum SS. Cordis Jesu recens fundata 53. — Sororum laudatae Unionis, necnon "Oblatarum saecularium," et "Oblatarum docentium a SS. Corde" munia exponuntur 53-54. — In varias gentes

diffusa jam est congregatio, uberes nacta fructus 54. — Quam antea jam S. Sedes laudavit et approbavit, ejus nunc constitutiones et regulas approbat 54-55.

15. LITTERAE APOSTOLICAE quibus peculiares preces catholicis commendantur per solemnia sacrae Pentecostes. — 5 Maii 1895. ... ... pag. 56

Maxime in votis est Ecclesiae et Pontifici unitas fidei, qua Dei gloria et salus animarum promoveantur 56. — Illam impetrare a Deo studeant omnes Fideles orationibus suis 56. — Nullum vero tempus aptius orationi est quam quo olim Apostoli cum Maria in Coenaculo orantes constiterunt, coeptaeque sunt gentes ab Ecclesia in unam Christi Fidem adduci 56-57. — Catholici per hos dies Spiritum Sanctum invocent, Spiritum veritatis, fontem sanctitatis, cor Ecclesiae, per quem, quum sit Charitas, fore sperat Pontifex ut arctius Fideles in charitate jungantur 57-58. — Concordia Catholicorum et preces multum ad dissidentium reconciliationem sunt profuturae 58. — Variis indulgentiis, in posteros annos valituris, preces indictae augentur 58.

16. LITTERAE APOSTOLICAE, de saecularibus solemniis S. Philippi Nerii. — 8 Mai 1895. ... ... pag. 59

Laetatur Pontifex de saecularibus solemniis S. Philippi Nerii brevi celebrandis, ipsumque laudat virtutibus et doctrina insignem; cujus insistit vestigiis Congregatio ab ipso fundata 59-60. — De pietate promovenda per cantum, de priscorum Martyrum cultu, de re historica, de Urbe, Philippus bene meritus est 60. — Impertit Pontifex Indulgentias hisce saecularibus festis lucrandas 60-61.

17. EPISTOLA ad cardinalem Parocchi, de comitiis politicis a catholicis in Italia vitandis. — 14 Maii 1895 pag. 62

Decretum de comitiis politicis vitandis, jussu Pii IX editum, cum haud recte nonnulli interpretarentur, explicatum postea fuit 62. — Catholicis, etsi comitiis administrationes spectantibus laudabiliter intersunt, vitanda esse comitia politica saepe Pontifex edixit, eamque sententiam, quum ipsam nonnulli conentur infringere, propalam manifestari ei visum est 62-63.

18. EPISTOLA ad Georgium Ebed Iesu Khayyath, patriarcham Babylonensem, et ad omnes episcopos chaldaici ritus de rebus ecclesiae chaldaicae. — 20 Maii 1895. ... ... pag. 64

Benevolentissimum erga Orientales animum testatus Pontifex, memorat se electionem novi Patriarchae Babylonensis, chaldaïci ritus, confirmasse, Vicariumque ad ipsum deputasse in adjutorium, ac Amadiensi Ecclesiae univisse Akrensem 64-65. — Gratulatur Episcopis de studiis initis pro chaldaïci Missalis recognitione, necnon de

synodalibus decretis humilitatem Clericorum spectantibus 65. — Laudat illos S. Sedis observantissimos, atque hortatur ut arctius in dies Clericos et fideles adstringant B. Petri Cathedrae, Nestorianosque reducant ad catholicam Unitatem 65-66. — Benedicit 66.

19. EPISTOLA APOSTOLICA ad Coptos. De christiana unitate — 11 Junii 1895 ... ... pag. 67

Ad binas a Coptis catholicis acceptas litteras rescribens Pontifex, suam in Coptorum gentem benevolentiam testatur 67. — Initia exsponit ecclesiae Alexandrinae quam quidem viri, sanctimonia et sapientia insignes, necnon schola philosophiae celeberrima, et Eremitarum virtutes illustraverunt 67-68. — Memorat unitatem postea disruptam, ab Eugenio IV instauratam, iterumque disruptam, nihil tamen mutata Romanorum Pontificum in discordes filios benevolentia 68. — Exponit a se ipso de Coptorum gente susceptas curas : alumnos Societatis Jesu atque Missionales Africanos Lugdunenses ad illam missos, et Episcopum ex Coptis assumptum 68-69. — Ad plura paratus in gentis salutem, hortatur Coptos catholicos ut conspirent secum, multumque Sacerdotes, et sacras Virgines rei religiosae profuturos confidit 69-70. — Concordiam tum Clericis tum laicis suadet, allata praeclara B. Cyrilli cohortatione ; cujus quidem concordiae exemplum opportunissimum ducit reconciliandis Ecclesiae dissidentibus 70. — Hos jam ad communionem catholicam enixe adhortatur 70-71. — Ad omnia quae proficiant ad eam, Pontifex paratus est, exemplo Benedicti XIV, de Coptis optime meriti, cujus usurpat verba charitatis plena 71. — Ecclesiae Alexandrinae faustissima ominatur, si fuerit Romanae iterum juncta : auspices adstent Sancti, Aegypti olim incolae, et ipsa SACRA FAMILIA 71-72.

20. EPISTOLA ad Ignatium Benham Benni, patriarcham antiochenum Syrorum, de reconciliatione dissidentium. — 1 Julii 1895. ... ... pag. 73

Laetatus Pontifex litteris a Patriarcha acceptis, Orientales, etiam dissidentes, vult de sua benevolentia confirmari 73. — Dissidentium reconciliationi incumbant omni ope catholici, Pontificis et maxime Dei auxilio freti 73-74.

21. EPISTOLA ad Franciscum Picard praepositum Augustinianorum ab Assumptione, de horum ministeriis in Oriente. — 2 Julii 1895. ... ... pag. 75

Laudat Pontifex Augustinianos de rebus Orientis optime meritos, ipsorumque consulens incremento, statuit eorum sedes ad Stamboul et ad Kadi-Keuï esse ampliandas 75. — De administratione spirituali, de ritibus, de adolescentium institutione nonnulla eos monet, animumque eis addit et benedicit 75-76.

22. EPISTOLA ad Card. Goossens, Arch. Mechlinien., et Belgii Episcopos, de Causa sociali in Belgio. — 10 Julii 1895. ... ... pag. 77

De causa sociali, quae in Belgio agitatur ardentius, jam pridem Pontifex edidit documenta, quae quominus afferrent apud Belgas sat uberes fructus, animorum impedivit discordia dolenda multum atque stupenda 77-78. — In tanto periculo reconciliare animos studeant pro munere suo Episcopi in unum congressi 78. — Exponit Pontifex quanti causa socialis momenti sit, et quomodo hac in re se gerere debeant Episcopi atque Fideles, ut communi consulatur bono 78-79. — Episcoporum obsequium catholicis inculcat, hosque vult abstinere ab omni inter se de rebus hujusmodi controversia 79-80. — Cleri partes his in rebus definit 80. — Confidit suis jussis Belgas obtemperaturos, atque conjunctis viribus obstituros *Socialismo* 80. — Benedicit 81.

23. LITTERAE APOSTOLICAE quibus congregatio Sodalium a "Sanctissimo Sacramento" in perpetuum confirmatur. — 12 Aug. 1895 ... ... pag. 82

In praesentibus rerum angustiis, assiduae catholicorum preces et pia opera levamento sunt Pontifici 82. — Initia refert Congregationis Ss. Sacramenti, ejus finem exponit, ipsamque in perpetuum confirmat 82-83-84.

24. EPISTOLA ad J. B. Paganuzzi, Praesidem Comitatus Coetuum catholicorum, de Coetibus catholicis in Italia. — 24 Aug. 1895. ... ... pag. 85

In conventu Taurinensi brevi celebrando curent catholici Comitatus dioecesanos numero augendos, universasque catholicas consociationes operi congressuum catholicorum aggregandas 85-86.

25. EPISTOLA ad Card. Langénieux, Archiep. Rhemensem, de controversia super familiis religiosis Galliae. — 26 Aug. 1895. ... ... pag. 87

Gratum testatus animum ob Praesulis vota, memorat Pontifex definitionem controversiae de familiis religiosis a se Episcopis ipsisque Religiosis fuisse permissam 87.

26. EPISTOLA ENCYCLICA de Rosario Mariali. — 5 Sept. 1895. ... ... pag. 88

Gaudet Pontifex Dei Matris cultum in dies augeri, Rosarii praesertim invalescente usu 88. — Dissidentium reconciliationem Fideles a Deo per Mariam efflagitent Octobri proximo 88-89. — Jure confidimus Mariae, quippe quam nobis in Matrem Christus dedit : quod quidem munus ipsa in Coenaculo auspicata, implere non desinit in coelo : unde maxima in christianis animis oritur fiducia benevolen-

tiae piae Matris 89-90. — Ipsa Fidei propagandae fautrix inde ab Ecclesiae ortu, atque sceptrum orthodoxae fidei exstitit,eique multum confisi sunt viri apostolico spiritu clari, necnon Patres Ecclesiae et Doctores, Principes christiani, et Pontifices romani ; ideoque Mariae Ecclesia et Patres splendide gratulantur 90-91. — Ad nationes christianas in Fide et Charitate conjungendas maximo B. M. Virginem adjumento fore confidit Pontifex, quippe quae olim ab Ephesinis Patribus, toto plaudente orbe, *VirgoDeipara* conclamata est 91-92. —

Catholicos adhortatur ut pro dissidentibus B. M. Virginem exorent, fraternitatis affectionem sic aemulaturi quae inde ab initio viguit in Ecclesia 92-93. — Dissidentes nunc nationes olim optime de B. M. V. sunt meritae,eisque succurret pia Mater pro ipsis exorata 93.— Exstant ex Oriente in Occidentem advectae imagines Mariae, monentes nos ut ipsam pro dissidentibus imploremus 93. — Nullae ad B. M. Virginem preces effundi possunt Rosario efficaciores ad unitatem christianam reparandam ; ideoque a pluribus olim Romanis Pontificibus fuit in Oriente propagatus cultus Rosarii, nostra quidem aetate multum ibi invalescens 93-94-95.— Laete recolit Pontifex in conventu eucharistico Hierosolymitano propositum initum fuisse templi in honorem Reginae SS. Rosarii exaedificandi 95. — Pastores et gregem ad indefessum Beatae Virginis cultum, proximo praesertim mense, exhortatur et instantissimas preces ad Mariam effundit pro catholicis et dissidentibus 96. — Benedicit 96.

27. EPISTOLA Archiep. Naupactensi, delegato apostolico ad foederatas Americae civitates, de vitandis coetibus cum acatholicis. — 18 Sept. 1895. ... ... pag. 97

Non probat Pontifex catholicos cum acatholicis convenire de religione rectisque moribus acturos. Pateat, si libuerit, acatholicis conventuum catholicorum aditus ad audiendum 97. — Sacerdotum Paullianorum institutum commendatur 97.

28. EPISTOLA ad Card. Rampolla, Status Secretarium, de invasione Urbis impie celebrata elapso ab hac XXV anno. — 8 Oct. 1895. 98

Queritur Pontifex de sibi illatis injuriis ab Ecclesiae hostibus, qui sic produnt animum in impugnatione S. Sedis perseverandi 98. — Ostendit, eversa civili romani Pontificis potestate, ipsos jam niti abolere spiritualem, novam ut condant Romam christianae Urbi adversam 99. — Triumphum de hostibus demum acturam Ecclesiam affirmat ; at in praesenti res Italiae pessum ire multum dolet 99-100. — Bellum sacrilegum in dies ingravescere, nec ad S. Sedis libertatem legum quarumdam cautiones sufficere ostendit 100. — Principatus sui civilis necessitatem utilitatemque multiplicem exponit, Deique gratiae, non vero presentibus rebus tribuendam dicit gentium in S. Sedem

observantiam 100-101. — Ostendit S. Sedem de Italia optime semper meritam, in posterumque merituram 101-102. — Exoptat ut Itali, Massonum excusso jugo, S. Sedi obsequantur 102.

29. LITTERAE APOSTOLICAE de patriarchatu Alexandrino Coptorum. — 26 Nov. 1895. ... ... pag. 103

Gratum erga Deum animum testatur Pontifex ob laetos sacri muneris sui fructus 103. — Coptorum Ecclesiae amantissimus, nuper ad illos litteras dedit catholicos simul et dissidentes compellans 103. — Missa deinde a Coptis catholicis ad S. Sedem legatione de Hierarchiae et Patriarchalis dignitatis instauratione, Pontifex eorum postulationem duxit opportunissimam, inspectis nempe rei catholicae per Aegyptum incrementis, variisque utilitatibus ex illa instauratione orituris 103-104-105. — Restituit igitur Patriarchatum Alexandrinum catholicum, eique sedes episcopales duas decernit suffraganeas 105. — Limites Patriarchatus Alexandrini, dioeceseosque Hermopolitanae atque Thebanae definiuntur 105-106. — Patriarchae et Episcoporum prima designatio reservatur S. Sedi 106. — Laetatur Pontifex restitutam esse sedem S. Marci, Petri discipuli, dissidentesque hortatur ad obsequium Hierarchiae catholicae. 106. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 106-107.

30. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales, de rebus Armeniae. — 29 Nov. 1895. ... ... pag. 108

Armeniae gentis calamitates dolet Pontifex, eique se variis industriis opitulatum esse exponit 108. — Benevolum erga Orientales animum testatus, memorat a se litteras ad Coptos datas, sedemque Alexandrinam restitutam esse. 108-109. — Cardinales creantur 109-110.

31. EPISTOLA ad L. Eygenraam, script. ephemerid. "De Tijd", de re Catholica in Neerlandia scriptis promovenda. — 15 Dec. 1895. ... ... pag. 111

Memorat Pontifex priores scriptores Ephemeridis *De Tijd* bene de re catholica et civili esse meritos, gaudetque illorum vestigiis insistere recentiores, hosque ut provehant S. Sedis consilia de dissidentium reconciliatione adhortatur 111-112 — Scriptores catholicos varia monet 112. — S. Willibrordum laudat Neerlandiae Apostolum, nobilemque gentem a vera dein deflexam Fide, errores sensim deponere gaudet, et scriptores laudatae ephemeridis adhortatur ut pergant ad veritatem fratres reducere 112-113. — Benedicit 113.

32. EPISTOLA ad Archiepiscopum Aquilanum de reverentia Episcopis debita. — 26 Dec. 1895. ... pag. 114

Dolet Pontifex Archiepiscopo debitum obsequium a nonnullis praetermissum, honoremque episcoporum suum esse edicit 114. — Clerum laudat observantiam erga Pastorem palam professum 114.

33. EPISTOLA ad Cardinalem Parocchi, Commissionis Sanctae Archeologiae praesidem, de perficiendo opere J. B. De Rossi " Roma Sotterranea ,,. — 31 Dec. 1895. pag. 115

Ne per obitum clarissimi viri J. B. de Rossi infectum maneat opus ipsius "Roma sotterranea" de religione et historia bene meritum, Pontifex illud *Commissioni* S. Archeologiae mandat perficiendum 115-116.

34. EPISTOLA ad Card. Langénieux, Archiep. Rhemensem de centenariis solemnibus Clodovei Regis. — 6 Jan. 1896. pag. 117

Consilium celebrandi memoriam baptismatis Clodovei regis Pontifex probat, precibusque annuit Cardinalis jubilaei lucrum poscentis 117. — Benevolum testatur animum erga gallicam gentem a Deo electam Ecclesiae propugnaculum 117. — Quod quidem Galli laete recolant proximis festis, permagni aestimantes suam in Christo regenerationem per quam cum spiritualibus, tum civilibus bonis, historia teste, sunt aucti 117-118. — Episcopi Galliae S. Remigii virtutes pro fideque labores aemulentur 118-119.— Deum pro Gallia rogat Pontifex ut sancta sit et avitae tenax fidei 119.— Sint Galli animo inter se concordes, tutique ab imminentibus malis per religionis clypeum ; consulant nempe reipublicae per concordiam et Ecclesiae obsequium in praesenti rerum perturbatione 119-120. — Massonum grassante secta, catholici bonum certamen strenue certent 120. — Faustissima Galliae apprecatur Pontifex, et benedicit 120.

35. LITTERAE APOSTOLICAE de Jubileo in Clodovaei Regis festis saecularibus. — 8 Jan. 1896. ... pag. 121

Clodovaei baptisma Pontifex refert a S. Remigio collatum, magno quidem gallicae gentis emolumento, illiusque proin memoriam jure celebrari ostendit 121-122. — Antea datam a se hac de re epistolam memorat 122.— Nonnulla suadet quae saecularis celebritatis utilitatem et decus augeant 122. — Indulgentias impertit lucrandas proximis festis. 122-123-124.

36. EPISTOLA ad Card. Goossens, Archiepisc. Mechliniensem, de Schola Thomistica Lovaniensi. — 6 Febr. 1896. ... ... pag. 125

Gaudet Pontifex Episcopos Belgii suis obsecundasse consiliis de philosophiae studiis in Lovaniensi Athenaeo amplificandis 125. — Scholae Thomisticae necnon Seminarii scholae annexi leges auctoritate pontificia sancitas fuisse memorat 125-126. — Praescriptum de adhibenda in lectionibus lingua latina inculcat iterum tum alumnis, tum institutoribus 126. — Uberes fore fructus scholae ominatur, et benedicit 126-127.

37. EPISTOLA ad A. Pagès, supremi Consilii Societatis Vincentianae Praesidem. — 13 Febr. 1896. pag. 128

Societatem Vincentianam laudat Pontifex levandae plebi atque religioni cohonestandae deditam 128. — Gaudet ipsam proposuisse Vincentianas *Conferentias* etiam in Oriente instituendas, atque suis obsecundare consiliis de operarum conditione levanda 128. — Charitatem extollit maximum societati periclitantis praesidium 128-129.

38. MOTU PROPRIO. De ratione concordi rei catholicae provehendae apud orientales. — 19 Martii 1896. pag. 130

Constitutioni Orientalium antea editae subjicere visum est Pontifici praecepta quaedam de ratione concordi rei catholicae apud Orientales provehendae 130. — Exponit Pontifex maximi esse momenti illam concordiam inter Delegatos Apostolicos imprimis atque Patriarchas, qui quidem ex illa haurient excellentia bona 130-131. — Jubet Pontifex Patriarchas binas saltem quotannis congressiones actitare cum Delegatis, quaeque sunt in illis congressionibus tractanda exponit 131-132. — Commendat praecipue curandam institutionem clericorum, et puerorum, atque propugnandam per scripta Fidem catholicam 132-133-134.— Rationem definit officiorum quae Delegatis interce dant cum eis qui Missionibus praesunt 134. — Delegatos, quorum quidem munus est instare ut servetur Constitutio *Orientalium*, non nulla monet de latinorum Institutis fovendis, de presbyteris latinis adjuvandis, ad concordiamque cum orientali clero adhortandis 134-135. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 135.

39. LITTERAE APOSTOLICAE de peregrinationibus ad sancta loca Palaestinae. — 18 Aprilis 1896. ... pag. 136

Peregrinationes ad sancta Palaestinae loca celebrari saepius nostra aetate Pontifex gaudet, earum exponens utilitatem, uberesque fructus enumerans inde natos postremis hisce annis 136-137.— Rogante Praeposito generali Augustinianorum ab Assumptione, Pontifex concedit iter ad sancta loca suscepturis bis lucrandam plenariam indulgentiam, iis vero qui domo detenti, peregrinationi aliquo modos uffragati vel mente juncti fuerint, indulgentiam plenariam semel lucrandam 137-138. — Nonnullas alias decernit gratias a peregrinantibus assequendas in via vel ubi ad sancta loca pervenerint 138-139. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 139.

40. EPISTOLA ad Hungariae Episcopos de saecularibus regni solemnibus. — 1 Maii 1896. ... ... pag. 140

Approbat Pontifex constituta esse saecularia solemnia quibus rei Hungaricae initia celebrentur, ex illisque uberes proventuros esse fructus confidit 140. — Testatus suum de futuris solemnibus gaudium,

recolit officiorum vicissitudinem Hungaros inter et Apostolicam Sedem, speratque per praesentes litteras auctum iri celebritatis gaudium atque fructus 140-141. — Rei Hungaricae multum profuisse religionem catholicam exponit 141. — Memorat Geizam ducem a S. Adalberto conversum ad Fidem, et S. Stephanum optime meritum de gente sua, quae quidem clarum aemulata principem, Sedi Apostolicae et catholicae Fidei devotissimam se semper praestitit 141-142. — Probat Pontifex eos qui curant exponendas per futura solemnia partes Ecclesiae in rei Hungaricae incrementis 142. — Ostendit de civili gentis libertate bene meritos esse Pontifices romanos, in primis Innocentium XI 142-143. — Memorat a Gregorio XIII conditum in Urbe collegium pro Hungaris 143. — Verba Joannis Hunyadis, atque epistola ordinum regni ad Nicolaum V, testantur Ecclesiam de Hungris optime meritam 143. — Hungarorum regnum Apostolicae Sedi fuisse deditissimum edicunt complura ex actis publicis, necnon variae commendationes quibus a S. Sede gens Hungarorum dignata est 143-144. — Refertur ex diplomate Clementis XIII ad Mariam Theresiam illustrior pagina 144-145. — Adhortatur Pontifex Hungaros, regni sui laudes celebraturos, ut nitantur in primis religiosissimorum patrum aemulari exempla 145-146. — Dolet a multis hominibus contemni religionem catholicam, magno ipsius humanae societatis detrimento 146. — Memorat antea a se ad Hungaros datas litteras per quas rei religiosae simul et civili consulere studuit 146. — Eos diligentius quotidie monitis suis obtemperaturos esse confidit, maximo quidem rei Hungaricae emolumento 146-147. — Sperat futuris solemnibus auctum iri inter Hungaros pietatem erga romanam Ecclesiam, necnon obsequium fidemque in Domum Habsburgensem, atque cum Petri cathedra necessitudinem 147. — Benevolentissimum Hungaris animum testatur, Deum pro ipsis Sanctosque exorans, atque exoptat ut eadem Fide cives omnes jungantur Ecclesiae 147-148. — Benedicit 148.

41. LITTERAE APOSTOLICAE quibus domus ad S. Laurentii Brundisini de Urbe declaratur generalitia Ordinis Minorum S. Francisci Capulatorum. — 5 Maii 1896. ... ... pag. 149

Pontificis est religiosarum familiarum pacem curare 149. — Urbani VIII declarationes de conventu Imm. Conceptionis Ordinis Minorum Capulatorum minus rite olim interpretati sunt Minores Capulati provinciae Romanae, parvi facientes Ministri Generalis auctoritatem, quam quidem aliis postea litteris laudatus Pontifex vindicavit 149-150. — Difficultatibus iterum exortis, Pius IX conventum Imm. Conceptionis declaravit generalitium esse tantumque Ministro Generali vel, eo absente, Commissario Generali subditum 150-151. — A quo discedere temporum injuria coacti, se receperunt Superiores Generales ad

S. Nicolaum, jamque ad S. Laurentium Brundisinum sedem suam transferre decreverunt 151. — Quam domum praesentibus litteris Pontifex constituit generalitiam, revocans supra recensitam Constitutionem Pii IX 151-152. — Statuit de ratione Conventus Imm. Conceptionis atque romanae provinciae, cum Minorum Capulatorum Ordine ejusque Ministro Generali 152-153.

42. EPISTOLA ad Menelik Negus Negesti, Aethiopiae Imperatorem, de captivis liberandis. — 11 Maii 1896. pag. 154

Imperatorem sibi benevolentissimum rogat Pontifex pro munere suo ut quos detinet captivos, libertate donet, summam sic laudem ab hominibus atque praemium a Deo consecuturus 154-155.

43. EPISTOLA ENCYCLICA de unitate Ecclesiae. — 29 Junii 1896. ... ... pag. 156

Visum est Pontifici, devios reducendi gratia, unitatem Ecclesiae his tractare litteris 156. — Ecclesiae contemplari speciem utilissimum 156. — Ad Ecclesiam redire dissidentes ab ipso Deo jubentur, nec deest ipsis ad implendum praeceptum coelestis gratia 156. — Vim persuadendi Pontifex Deum rogat 156. — Auctor naturae et gratiae Deus homines assumit sui operis ministros : ad quem a Deo definitum rerum ordinem refertur Verbi incarnatio 157. — Suum Filius Dei munus continuandum mandavit Apostolis. Qua ratione Ecclesia genita est, quae spiritualis simul est et externa, ut patet ex Apostolorum docendi munere, ex Fide interna exterius profitenda, ex gratia coelesti participanda per instrumenta externa, ex juribus Ecclesiae docentis, officiisque Ecclesiae docendae 157-158.— Inde corpus, et corpus Christi vocatur in S. Scriptura Ecclesia, utpote oculis conspicua, at vivens occulta Christi virtute quae manifestatur actibus 158. — Errant qui sive formam in Ecclesia externam, sive principium vitae internum negant 158. — Vera hac de re doctrina exponitur, assumpta similitudine ex animae humanae corporisque conjunctione, et unione naturae divinae cum humana in Christo 158-159. — Qualem Christus Ecclesiam constituit, talis permaneat necesse est : quod verbis illustratur Chrysostomi et Augustini 159. — Verae Ecclesiae a Christo constitutae unitatem testatur Scriptura : quae quidem unitas qualis sit a voluntate Christi inquirendum est 159-160. — Ecclesiam formavit Christus individuam, non vero distinctas complectentem communitates 160. — Ecclesiae unitatem eximie S. Clemens Alex. profitetur 160. — Cum Christi verbis, tum ejus omnes salvandi homines proposito probatur Ecclesiae unitas 160-161. — Hanc praesignificavit Isaïas, cujus verba diserte Optatus Milevitanus et Augustinus interpretantur 161-162. — Unicum est Christi corpus mysticum, ut et ejus mortale corpus unicum est 162. — Nequeunt cum unico capite Christo jungi membra quae fuerint a caeteris membris dispersa, illaque mori, utpote a capite

disjuncta, necesse est 162-163.— Praecedentium conclusio 163. — Qui Ecclesiam unicam condidit, is idem condidit unam, in qua videlicet omnes unum essent: quod ipsum Christus Patrem rogavit : hujusque concordiae fundamentum posuit Fidei unitatem, quae qualis ex Christi praecepto esse debeat, jam indagat Pontifex 163-164. — Permissa si fuisset ingenio hominum doctrina Christi, Fidei unitas stare non potuisset : hujus ergo unitatis servandae principium aliud constitui divina sapientia debuit, ut ut sacrae extarent litterae, illudque Pontifex inquisiturus, primordia exponit christiani nominis 164-165. — Christus videlicet audientibus se tradidit singula suae doctrinae capita ex animo amplectenda, nullo quidem excepto 165. — In coelum jam rediturus, Apostolos doctrinam suam disseminare jussit, pollicitus se missurum veritatis Spiritum perpetuo in ipsis mansurum 165-166. — Illos ergo perinde ac se ipsum audiri imperat, singulaque doctrinae ipsorum capita teneri 166.— Munere suo Apostoli rite perfuncti sunt 166.— Magisterium vero cum Christus instituerit perpetuum, Apostoli episcopos consecravere suos in verbi ministerio successores, quos jusserunt et ipsos constituere alios divini verbi ministros, sicque munus Christi doctrinam docendi integram, et officium ipsam accipiendi perdurant in Ecclesia, quae quidem omni aetate e sinu suo eos omnes ejecit qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent 166-167-168. — Unitatem Fidei S. Paulus edicit servandam semper, eamque ostendit a Christo Apostolorum, pastorum atque doctorum ministerio superstructam 169. — Quare uno ore doctores Patresque proclamavere eam tenendam esse doctrinam quam ab Apostolis acceptam nobis tradiderunt ipsorum successores 169-170.— Magisterium in Ecclesia a Christo institutum, infallibile est; qui vero ei contradicit in uno, omnem simul repudiat doctrinam christianam, ut ex ipsa patet natura Fidei 170-171.— Objectum Fidei a Cc. Vaticano definitur 171.— Magisterium Ecclesiae S.Augustinus vindicat 171-172.— Non sola Fide,sed et Dei cultu, legumque ac disciplinae sanctitate Ecclesia finem suum attingit salutem generis humani 172. — Soli vero Apostoli eorumque successores constituti sunt a Christo divini cultus ministri, populique christiani rectores 172. — Omnes ideo homines Christus in unam advocavit societatem iis instructam principiis per quae Dei filii in Ecclesia perfecti salvique evaderent : hic enim finis Ecclesiae est 173. — Ecclesiae suae Christus, utpote societati perfectae, praefecisse debet magistratum maximum, cui obediens omnis esset christianorum multitudo, sicque in Ecclesia est ex jure divino unitas regiminis, quae unitatem efficit communionis 173-174. — Illa vero summa potestas in Ecclesia qualis sit, non est aliter nisi cognita Christi voluntate statuendum. Constituit vero ipse Ecclesiae suae rectorem in terra Petrum, in successoribus auctoritate perpetua superstitem, quem quidem solum elegerat Ecclesiae suae fundamentum, eaque potestate auxit quae *jurisdictio* dicitur 174-175-176. — Quam jurisdictionis potesta-

tem declarant confirmantque verba Domini asseverantis adversus Petrum, adversus Ecclesiam inferi portas non praevalituras, atque pollicentis se Petro daturum claves regni cœlorum et quodcumque ligandi vel solvendi potestatem 176-177. — Suum promissum Christus exequens, gregem suum Petro commisit regendum,sic ipsi potestatem tribuens gubernandi omnes homines 177. — Nunquam vero Petrus fide lapsurus est, utpote per preces Christi firmatus, jussusque ab eo confirmare fratres suos 177-178. — Unam esse suam et Petri potestatem Christus testatus. est dum certa nomina sibi propria tribuit et Petro : vocatur Christus, et a Christo vocatur Petrus lapis ; clavem habens ; pastor ; confirmans in omni opere et sermone 178. — Illa nomina. magnarum indicia rerum, Leonis I et Gregorii magni verbis exponuntur 178-179. — Suprema potestas data Petro, perpetua est, in ejusque recidens successores, Pontifices videlicet romanos; illudque catholicae doctrinae caput illustratur verbis Cc : Florentini et Lateranensis IV, ac sanctorum Patrum testimoniis 179-180. — Nemo inde, nisi fidem romanam teneat,catholicus audit apud Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Maximum Abbatem, quum ab ipso Christo acceptam teneat sedes Apostolica in omnibus et per omnia potestatem 180-181. — Catholicam doctrinam de summo Petri romanaeque Ecclesiae principatu asserunt acta Concilii Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani III, formula catholicae professionis proposita ab Hormisda, et illa quam Michael Palaeologus in Cc : Lugd. II professus est 181-182. — Ut in romano Pontifice principatus Petri, ita in Episcopis potestas Apostolorum permanet 182.— Exponit Pontifex episcoporum cum romano Pontifice necessitudines. Illorum nempe cum Petri successore conjunctio, quae Ecclesiae parit unitatem, sancita a Christo est qui nihil Apostolis seorsum a Petro, plura vero Petro contulit seorsum ab Apostolis, ita ut Episcopi excidant potestate regendi, si a romani Pontificis secesserint communione quae fundamentum potestatis ipsorum est 182-183. — Christus ergo Ecclesiam suam constituit unam fide, regimine, communione sub Petri summa cathedra 183. — Hanc esse unitatis centrum exponunt Cyprianus atque Optatus Milevitanus, schismaticum et haereticum habentes eum qui defecerit a Sede Apostolica : talem quidem, quum sit extra Ecclesiam, nullam jam posse auctoritatem participare patet 183-184. — Hoc eximie Optatus Donatistas monuit 184. — Voluit Christus Episcopos ita cum Petro conjunctos ut ipsi subsint pareantque ; nec satis est inter eos Petrum priores gerere partes, quum clavium nomine summa designetur potestas 184. — Ut enim Episcopi agnos, ita summus Pontifex regendos accepit a Deo et agnos et oves 184. — Hinc illae de B. Petro singulares veterum locutiones, quae ejus praedicant summam potestatem 184-185. — Hanc celebrat S. Bernardus, ad Eugenium Papam scribens 185. — Non tantum Episcopos singulos, sed et universos subesse romanorum Pontificum jurisdictioni ex eo patet quod hi sunt

a Christo fundamentum Ecclesiae universae constituti, et praepositi universo gregi : tenentque ab eo acceptas claves regni coelorum 185-186. — Ut nempe Episcopi universo gregi suo, ita et romani Pontifices toti praesunt reipublicae christianae, ipsius Christi potestatem gerentes 186. — Hanc romanorum Pontificum in episcoporum collegium potestatem testata est Ecclesia omni tempore, ut ex historia patet Conciliorum ; nec usquam legitur in S. Litteris summam potestatem sine Petro et contra Petrum traditam fuisse Apostolis 186-187. — Nulla vero oritur administrationi confusio ex eo quod iidem simul subsunt potestati Episcopi et Pontificis romani, quum sit hujus potestas principalior 187. — Episcoporum potestati fautores se semper praestiterunt Pontifices romani 187-188. — Per has litteras catholicos arctius cum suis pastoribus ac summo pastore devinctum iri confidit Pontifex 188. — Dissidentes vero ut ad Ecclesiae redeant unitatem compellat, monitum eis proponens S. Augustini de toto Christo sumendo 188. — Illos vero omnes qui Deum patrem sibi esse cupiunt docet ejusdem Augustini verbis Deum se praebere patrem iis tantum qui fratrem sibi Jesum-Christum simulque Ecclesiam matrem adsciverint 189. — Dei benignitati omnes commendat quos in oratione spectavit, et benedicit 189.

44. EPISTOLA ad Card. Svampa, Archiep. Bononiensem, de celebrando saeculi XIX termino. — 18 Julii 1896. pag. 190

Exponit Pontifex plura se Pontificatus sui spatio documenta tradidisse per quae pacem curaret instaurandam in mundo 190. — Gaudet concordiae spem conceptam augeri ex eo quod nonnulli terminum labentis saeculi decrevere solemni religionis testimonio celebrandum 190. — Agant illis solemnibus catholici gratias ob collata Pontifici beneficia ; maxime vero Deum exorent ut humano generi misereatur 190.

45. LITTERAE APOSTOLICAE quibus Universitati Gregorianae fit facultas juris Canonici cathedras instituendi et academicos conferendi gradus. — 29 Julii 1896. pag. 192

Romanorum Pontificum curam de scientiis humanis divinisque promovendis testatus, laudat Pontifex Universitatem Gregorianam a Clericis Regularibus S.J. nobilitatam 192. — Concessum ipsi a Pio IX privilegium juris Canonici cathedras erigendi, conferendique gradus academicos, Pontifex hisce litteris confirmat, legesque definit in conferendis gradibus observandas 192-193. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 193.

46. EPISTOLA ad Card. Vaughan, Arch. Westmonasteriensem, de sublevandis clericis anglicanis ad fidem conversis. — 27 Aug. 1896. ... ... pag. 194

Testatus Pontifex suam de salute Angliae sollicitudinem, dolet tristi rei familiaris conditione eos nonnunquam premi qui ad matrem Ecclesiam ex clero anglicano redeunt 194. — Varia quae illis occurrunt mala perpetienda, licet a pluribus fuerint superata, valent tamen nonnullos in errore diutius detinere 194-195. — Exoptat ergo Pontifex ut illorum necessitatibus provideatur, conspirantibus in id Episcopis, clero, ac fidelibus 195.

47. EPISTOLA ad Gulielmum Alliata, Praesidem consociationis antimassonicae, de primo antimassonico conventu. — 2 Sept. 1896. ... ... pag. 196

Catholicorum coetus magno esse rei catholicae emolumento testatur Pontifex, consiliumque probat agendi conventum adversus Massonum sectam, de qua impugnanda se plura edidisse documenta memorat, quae diligenter in futuro conventu attendenda monet, ut uberes ex ipso fructus proveniant 196-197. — Massonibus ut sua reddatur facies exoptat 197. — Conventui fausta apprecatur, congressurosque monet ut errantibus quidem, nequaquam vero errori parcant 197.

48. LITTERAE APOSTOLICAE de ordinationibus anglicanis. — 13 Sept. 1896. ... ... pag. 198

Saepe Pontifex Anglorum genti benevolentiam suam testatus est, ipsam percupiens Ecclesiae matri reconciliari 198. — Tractaturus jam est de ordinationibus ritu eduardino peractis, quas quidem irritas jam tenuit communis sententia, nonnulli vero, nostra praesertim aetate, habent validas 198-199. — Opportunum ideo visum est ipsis hanc causam retractari auctoritate S. Sedis 199. — Qua de re benigne indulsit Pontifex, summamque sollertiam fuisse adhibitam ad causam rite retractandam exponit 199. — Ante omnia autem perpensa fuisse notat ea documenta quae de reconcilianda ecclesia Angliae tradidit legato suo Julius III, quae quidem ad ipsam spectabant causam ordinationum anglicanarum 199-200. — Has Julium habuisse irritas ex eo patet quod postea ad legatum scribens, eos posse promoveri ad ordines dicit qui *non promoti ad sacros ordines* fuerant : designari autem his verbis eos qui ritu eduardino consecrati fuerant, ex ipsis litteris constat 200-201. — Paulus item IV, a Philippo et Maria regibus ad ipsum legatione missa de re religiosa in Anglia, litteras dedit *Praeclara carissimi*, ex quibus patet irritas teneri a Pontifice ordinationes secundum novam ritualem formam collatas, idemque testantur Pontificis litterae, postea datae 201-202. — Nec aliter religionis restaurandae

fautores illa S. Sedis documenta intellexerunt 202. — Exponit jam Pontifex optimam illorum documentorum interpretem esse Ecclesiae disciplinam habentis ordinationes ritu eduardino infectas. 202-203. — Quae quidem disciplina ex eo demonstratur quod saepius illae ordinationes iteratae sunt ritu catholico, id quidem probante Ap. Sede, ut multa testantur facta ad *Supremam* delata 203. — Duo ejusmodi facta Pontifex exponit, alterum cujusdam Calvinistae Galli, alterum Joannis Clementis Gordon 203-204. — Clementis XI decretum in causa Gordon Pontifex perpendit 204. — Licet ab Apostolica Sede fuerit sic controversia definita, tamen in Ordinale Anglicanum rursus inquiri Pontifex pro sua indulgentia jussit 204. — Doctrina de sacramentis novae legis exponitur 204. — Materia in iis per formam determinatur, ut manifestius in Ordine apparet 204-205. — Forma vero ad ordinationem presbyteralem ab Anglicanis adhibita manca fuit : quae vero verba ipsi addita postea fuere, vim suam, si quam forte haberent, exerere non jam potuerunt ob extinctam Hierarchiam 205. — Manca similiter fuit episcopalis consecrationis forma, nec restituta suae integritati per verba serius adnexa 205. — Nec habet ad consecrandum episcopum vim ullam oratio *Omnipotens Deus*, quippe quae fuerit sic deminuta ut nullam jam inducat consecrationis episcopalis ad sacramentum Ordinis rationem 205-206. — Exponit Pontifex Ordinale Anglicanum a suis auctoribus fuisse ad errores Novatorum ita accommodatum, ut ad usum ordinationum jam non valeret sic deformatum, nec potuerit postea ab hoc originali vitio rite purgari, quum in ipso verba usurpentur alieno sensu ab eo qui ad Sacramentum conficiendum requiritur 206-207. — Hujus vis argumenti, ab ipsis perspecta Anglicanis, extenditur ad deprecationem *Omnipotens Deus* 207. — Ordinationes anglicanae non tantum ob *formae defectum* irritae sunt, sed et ob *defectum intentionis* 207-208. — Causam hanc summa sapientia fuisse ab Apostolica Sede judicatam omnes consensere in *Suprema* judices, ipsam iterum scrutati ; Pontifex vero, rei opportunitate maturius perpensa, irritas declarat Ordinationes, ritu anglicano peractas 208 ; — jamque dissidentes, qui Ordinum beneficia requirunt, hortatur ut ad unicum redeant ovile Christi, maxima ibi adjumenta ad salutem reperturi 208-209. — Eis in primis reconciliationem cum Ecclesia suadet qui religionis ministri in communitatibus suis habentur 209. — Praesentium litterarum auctoritatem vindicat 209-210.

49. EPISTOLA ENCYCLICA de Rosario Mariali — 20 Sept. 1896. ... . **pag. 211**

B. Mariae V. cultum, nostris opportunissimum temporibus, saepius se jam commendasse Fidelibus Pontifex memorat 211. — Instante jam morte, Matrem Dei hominumque fidentius his litteris laudaturus est precem iterum Rosarii celebrando, unde se dat hortandi

Fideles praeclara occasio 211. — Rosarii nomen congruum huic precandi formae est quae Reginam Coeli Rosamque mysticam Paradisi salutat, nobisque parat gloriae coronam 211-212. — Ad salutem enim necessaria oratio est, quae tum maxime est efficax cum perseveranter orant complures in unum congregati 212.— Constat vero Rosarii formula precibus saepe iterandis, atque ad precationem communem accommodatissimis 212-213. — Laudatur familiarum christianarum consuetudo Rosarium recitandi 213.— Memorat Pontifex decreta sua de Rosario in ecclesiis recitando, de aliisque gaudet cultus illius incrementis 213. — Communem Rosarii precationem jucundissimam animo ac saluberrimam esse Pontifex experimentis cognovit 213. — Non nimia est ea fiducia quam in Mariae praesidio collocamus, quum praeter perfectum Conciliatorem Christum alii possint secundum quid mediatores dici Deum inter et homines, quod quidem imprimis convenit Mariae 213-214. — Ipsa partes egit in generis humani redemptione eximias, quas Rosarium colendo contemplamur affectu suavissimo 214. — Incrementum accipit insigne ex Rosarii cultu virtus fidei, siquidem ejus, qui fidei Auctor est et consummator, vita omnis proponitur contemplanda in Mysteriis Rosarii 214-215. — Fidei profitendae facultatem optimam habemus ex vocalibus precibus Rosarii 215. — Pretium meritumque fidei exponitur 215. — Debet eximia poenitentiae virtus, quum abstinentiam Ecclesia temperaverit, aliis excoli officiis : quam ad rem facit multum Rosarii cultus 215. — Hic autem, tot proferens fructus salutis, nemini gravis est 215-216. — Rosarium comes dulcis et praesidium est in vita et in morte 216. — Multis ipsum indulgentiis auctum est, permagni quidem aestimandis 216. — Ostendit Pontifex Rosarium, tantis insigne beneficiis, plurimum praeterea valere ad dissidentes Ecclesiae reconciliandos ; ideoque catholicos hortatur ut toto praesertim octobri illam reconciliationem deposcant Rosarium recitando 216-217. — Exoptat ut Rosarii cultus multum Fidelibus proficiat 217.

50. EPISTOLA ad Rodulfum Cornely, Josephum Knabenbauer, Franciscum de Hummelauer, de studiis Biblicis. — 14 Oct. 1896. ... ... pag. 218

Proposita synopsi documentorum quae de sacrae Scripturae studiis, tribus abhinc annis, edidit, laudat Pontifex eximios scriptores S. J. qui libros sacros susceperunt perpetuis notationibus illustrandos ; eisque de emensa feliciter laboris parte gratulatus, ea omnia adprecatur per quae praeclarum opus deducatur ad exitum 218.

51. EPISTOLA ad Carolum Mariam Bonanni, Praesidem Sodalium Prov. Rom. S. J. in Brasilia, de Institutione Juvenum. — 19 Oct. 1896. ... ... pag. 220

Laudat Pontifex eos qui adolescenti aetati erudiendae operam

dant, discipulorumque animos ad religionis simul et patriae caritatem informant 220.

52. EPISTOLA ad Victorium Constantini, de studio theologiae moralis. — 20 Oct. 1896. ... ... pag. 221

Laudat Pontifex *Institutionum Theologiae Moralis* auctorem, quippe qui universam rem moralem ita tractet ut philosophiam jubeat comitem esse atque adjutricem Theologiae morali 221.

53. EPISTOLA ad Praesules qui ob memoriam baptismi a Clodovaeo suscepti Rhemos convenerunt, de peractis saecularibus festis. — 24 Oct. 1896. ... ... pag. 222

Gaudet Pontifex feliciter esse peracta festa saecularia Clodovei regis optime de gente sua et Ecclesia meriti 222. — Varia autem pietatis argumenta quae illis diebus gens gallica edidit, laete ipse perlegit exposita in litteris ad se datis a Praesulibus ; quae quidem gratissimae Pontifici fuere hoc praecipue nomine quod testantur multum niti Gallos ut ipsius in *primogenitam Ecclesiae filiam* charitati respondeant 222-223. — Fidei et voluntatum concordiam iterum Pontifex exoptat inter Gallos perficiendam 223.

54. EPISTOLA ad Germanum Morin, de ipsius Commentariis in SS. Patres. — 3 Nov. 1896. ... ... pag. 224

Gratum animum testatur Pontifex ob oblata sibi commentaria de Ss. Patrum doctrinis, scriptoremque laudat aemulatum exempla illorum Benedictinorum qui tot praeclaris operibus optime de disciplinis ecclesiasticis meriti sunt 224.

55. EPISTOLA ad Card. Richard, Archiep. Parisiens. de ordinationibus Anglicanis haud propugnandis. — 5 Nov. 1896. ... ... pag. 225

Vindicat Pontifex vim et auctoritatem Constitutionis nuper a se de ordinationibus anglicanis editae 225. — Conqueritur quosdam catholicos, praecipue scriptores aliquos Ephemeridis *Revue anglo-romaine*, non ita hac in re sese gerere ut debent 225. — Praesulem monet ut ea de ephemeride opportune statuat, quum dedeceat maxime catholicos se socios adjungere iis Anglis qui Constitutionem Apostolicam haud recto animo acceperunt 225-226.

56. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales de violatis juribus Apost. Sedis. — 30 Nov. 1896. ... ... pag. 227

Commutatas in Urbe res violatumque jus Ap. Sedis Pontifex iterum conqueritur, exponitque crescentem in dies malorum audaciam, Ecclesiam et S. Sedem impugnantium, magno quidem ipsius reipublicae detrimento 227. — Profitetur se sua jura semper vindicaturum, confisum Deo. 225. — Cardinales creantur 227-228.

57. EPISTOLA ad Card. Richard Archiep. Parisiensem, de S. Clotilda colenda in festis saecularibus Clodovaei. — 1 Dec. 1896. ... ... pag. 229

Approbat Pontifex ut S. Clotildae reginae proprii habeantur honores sub exitum Jubilaei quod ob Clodovaei regis saecularia festa concessit. Confidit Parisienses patronae suae coelestis solemnia grato animo frequentaturos esse, indeque percepturos avitae religionis insigne studium 229.

58. EPISTOLA ad Card. Richard, Archiep. Parisiensem, de Templo SS. Cordis Jesu in Monte Martyrum. — 6 Jan. 1897. ... ... pag. 230

Gaudet Pontifex sacras a Baptismo promissiones renovatas fuisse a catholicis Galliae saecularia festa Clodovaei celebrantibus 230. — Praesulis exponitur propositum celebrandi memoriam inceptae ante viginti quinque annos structurae templi Ss. Cordis Jesu in Monte Martyrum 230. — Insigne illud templum variis se beneficiis auxisse memorat Pontifex, ac Gallos adhortatur ut praeclarum opus perficiant suarum spem rerum in Christo Deo potissimum collocantes. 230-231. — Praesulis autem propositum approbat variasque indulgentias concedit 231.

59. LITTERAE APOSTOLICAE quibus Seminarium Vaticanum cum scholis canonice constituitur. — 18 Jan. 1897. ... ... pag. 233

